

# PALAESTRA LATINA

---

---



BEATUS ANTONIUS MARIA CLARET

**Numerus Extraordinarius ob sollemnia ejusdem Beatificationis**

Superiorum permissu

# SUMMARIUM

<i>(Epigramma sacrum)</i> . . . . .	Beato Antonio Mariae Claret .	81
<i>Henricus Martija</i> . . . . .	In honorem B. Claret ( <i>carmen</i> ) .	82
<i>Emmanuel Jové</i> . . . . .	Beati Antonii Mariae Claret vita	83
<i>Clemens Ramos</i> . . . . .	Beatus Antonius Maria Claret Filius Mariae Amantissimus .	90
<i>Macarius Ruiz López de Zubiria</i> . . . . .	Servus Mariae ( <i>carmen</i> ). . . . .	93
<i>Antonius Blanch</i> . . . . .	Beatus Claret, Homo Dei miracu- lis clarus . . . . .	94
<i>Leander Fanlo</i> . . . . .	Qualis apud Claretianos viguerit vitae sanctitas . . . . .	98
<i>Philippus Calvo</i> . . . . .	Nobilis Religiosarum familiarum conditor . . . . .	100
<i>Vicentius Carrión</i> . . . . .	Congregatio Claretiana Missio- num Decus. . . . .	104
<i>Alfonsus J. Repiso.</i> . . . . .	De fund. Congr. Adflatus ( <i>carmen</i> )	108
<i>Johannes Postius.</i> . . . . .	Beatus Claret Populi Doctor. .	109
<i>J. Serra Fitó</i> . . . . .	Beatus Claret Insignis Paedago- gus . . . . .	112
<i>Ludovicus Marcos</i> . . . . .	Alacer Christi Miles . . . . .	114
<i>Emmanuel Esqué Montseny</i> . . . . .	B. P. Claret Linguae Latinae in Hispania Propulsor . . . . .	115
<i>Jos. M. Mir.</i> . . . . .	Beatus Claret Humanitatis et Lit- terarum Fautor . . . . .	118
<i>Josephus M. Jiménez.</i> . . . . .	Quantam Claretiani litteris Lati- nis dederint operam. . . . .	123
<i>Raimundus Illa</i> . . . . .	Fundatio Congregationis ( <i>dialogus</i> )	127
<i>Antonius Arranz.</i> . . . . .	Claretianorum Opera in traden- dis disciplinis . . . . .	129
<i>Johannes Prats</i> . . . . .	B. Claret Conc. Vat. Ornamentum	132
<i>Jové et Avenarius</i> . . . . .	Epistularum Commertium . . . . .	136
<i>Joepbus Metteocci</i> . . . . .	Exultemus! ( <i>carmen</i> ) . . . . .	139
	Congregat. Claretianae synopsis .	140
<i>(In operculis)</i> . . . . .	Beati Claret Fasti Insigniores	



BEATO ANTONIO MARIAE CLARET

PATRI SANCTISSIMO

CONGREGATIONIS NOSTRAE CONDITORI ET LEGIFERO

ADSIDUO LITTERARUM CULTORI

VERBI DEI PRAEDICATORI INDEFESSO

EGREGIO PATRONORUM OPIFICUMQUE EXEMPLARI

PRAECLARO ECCLESIAE ARCHIEPISCOPO

ELISABETH II HISPANORUM REGINAE

A CONFESSIONIBUS ET CONSCIENTIAE MODERATORI

IN SOLLEMNIIS BEATIFICATIONIS

V KAL. MARTIAS ANNO JUBILAEI MCMXXXIV

ROMAE A PIO PAPA XI SPLENDEDE CELEBRATIS

ALACRITER OBSEQUIMUR

PALAESTRAE LATINAE CONSCRIPTORES

## *In honorem Beati Claret*

*Hymnus*

*Henricus Martija, C. M. F.*

### *CHORUS*

*Exultet jubilans regia caelorum  
Orbis laetitiae plausibus insonet,  
Antonî Mariae nomen amabile  
Digno carmine concinens.*

### *STROPHAE*

*Ut fulmen aetram cum scidit impetu,  
Invicte Claret, impiger advolas:  
Jam cerno vexillum Mariae  
Virgineum fluitans per auras.*

*Divini honoris te studium rapit,  
Urgetque Jesu fervida caritas;  
Non arma, non hostis cruenta  
Ora times strepitumque pugnae.*

*Clarescit audax jam sonitus tubae,  
Repente caelum lumine fulgurat;  
Tremore percussas fugari  
Daemonis en video phalanges.*

*Nunc signa Matris, stemmata gloriae  
Praefer per urbes et populos ovans:  
Te sera communem Parentem  
Progenies recinet per orbem.*

*Et dum citatis flumina cursibus  
Prodent in aequor, tu celebraberis  
In orbe toto, sempiterna  
Conspicius Superum corona.*

*Qui te creavit gloria sit Patri,  
Qui te vocatum fecit Apostolum  
Par Filio sit laus, sit aequa  
Spiritus tibi cuncta dan'ti. Amen. <sup>(1)</sup>*

(1) Hanc postremam strophem Avenario amico et conscriptori surripui, quam in carmine nondum edito, Patrono suo Andreae Apostolo dicavit.

# Beatus Antonius Maria Claret



Emmanuel Jové, C. M. F.

## I De ejus ortu et pueritia

Sallenti in Hispaniae oppido apud Catalaunos ortus fuit anno millesimo octingentesimo septimo pridie Nativitatis Domini, ablutus autem baptismate eo die quo ex Beata Virgine in mundo Jesus apparuit. Antonius Johannes Adjutor est appellatus, sed postea episcopali dignitate auctus, ex filiali in Mariam amore, Mariae nomen suscepit. Ab ineunte aetate eo animi fervore corporisque modestia cottidie sacro aderat, ut mirum omnibus exemplum praeberet. Templum Dei celebrare malebat quam puerilibus ludis indulgere. Aeternitatis cogitatione quinquennis summo opere movebatur; parentium et doctorum dictis se audientem exhibebat et a rebus caducis abhorrebat. A magistro aliis pueris tanquam exemplum docilitatis et sedulae ad studium adplicationis proponebatur. Spiritualem communionem inde a puero agere, vespere templum adire, ibi diutius, oculis in ciborium defixis, preces ante Sanctissimum Sacramentum immobilis effundere consueverat. Adeo Beatissimam Dei Genetricem diligebat ut ei acceptum referret quidquid a Deo beneficii recepisset, firmiter confusus se nova semper ab ea beneficia consecuturum. In ejus honorem singulis sabbatis et diebus ei dedicatis jejunabat et cottidie integrum rosarium recitabat. Piis lectionibus sedulo vacabat, iis maxime qui de Smo. Sacramento ac de Beata Virgine agerent ex quibus lectissimos percipiebat fructus. Pueros aequales totis viribus ad Deum perducere conabatur. Patri submitte obtemperabat et, optimus inter fratres, nunquam accidit ut a matre coargui mereretur. Aegrotos juvabat atque solabatur, pauperes et senes honore prosequeretur cujus quidem rei specimen insigne dedit dum tempore belli, appropinquante Sallentum hoste, ipse apud avum remanere voluit, cum omnes ab oppido profugissent.

## II De ejus adolescentia ac sacerdotali vocatione

Adolescens ad sacerdotium caelitus vocatur; cum grammaticae Latinae in patrio oppido aliquantum incubuisset, mortuo institute, a patre jussus est extrinsecam artem exercere. Ille autem dum manualibus vacat laboribus, Deum per Smam. ejus Matrem exorat ut iter sibi quacumque ratione pandat, per quod voti aliquando com-

pos fiat, sociisque textoribus se sacerdotem velle esse saepius testatur, eosque ad Smam. Virginem orandam perpetuo excitat. In textoria arte omnium peritissimum se ostendebat, nihil tamen antiquius habebat quam pietatem colere; quem ad finem praeter cetera tellario suo plures sanctorum imagines adplicaverat.

Pater cum multam filii in arte textoria idoneitatem ac dexteritatem perspexisset, Barcinonem eum misit ut recentiora artis incrementa cognosceret seque in eadem perficeret. Ibi septemdecim annos natus, cum Johanne fratre totum labori se dederat atque ob praeclaram industriam peritiamque aliis operariis praepositus est, quibuscum mira quadam benignitate ac caritate agebat; si quid enim in operibus eorum reprehendendum comperiret, investigabat prius, num quid esset laudandum, ut comiter animadversiones laudibus temperaret. Quapropter opifices omnes eum in deliciis habuerunt, qui tamen hac utebatur dilectione ut socios a mundi vanitatibus amoveret, ad pietatem addiceret et praecipue ad rosarium Mariale recitandum invitaret, cujus tres partes illo dirigente recitabant, Beatamque Deiparam oratione angelica singulis horis salutabant. Ludis, solaciis, popinis, choreis ita abstinebat ut ejusdem morum sanctitas hominum excitaret admirationem, eumque vulgo *sanctum* appellarent.

Proposito a patre consilio se in animo volvere magnam quandam societatem inire ad artem textoriam tractandam, eidemque ipsum proponere, sanctus juvenis extremo vitae periculo commotus quod in mari subierat, unde a Beata Virgine providentialiter fuerat ereptus; sed magis adhuc commotus discrimine amittendae puritatis ex quo, eadem favente caelesti Matre, feliciter evasserat, subdidit patri demisse se malle, si ei videretur, capulatis Sti. Francisci sodalibus adscribi. Nec pater filii consiliis obstitit, sed tantum addidit se ceteris rebus praeferre ut saeculare sacerdotium eligeret.

Rebus ita compositis, Beatus Antonius artem textrinam jam tum neglexit, voluptatibus omnibus valedixit, Vicumque se contulit ut alterum et vicesimum annum agens cum adolescentibus seminarii alumnis sacris disciplinis iterum operam daret. Ibi condiscipulis praelectiones benigne repetebat, eos ad virtutes exercendas perpetuo hortabatur, sed, quod pluris praestat, optimum earum exemplar se praebebat. Ut se ad pietatem excitaret, sententiolas scribebat in cartae laciniis quas, ut signacula, libris inserebat; aegrotos in nosocomio sublevabat; non raro deprehendebatur flexis genibus orans ante imaginem Christi Crucifixi, calvam coram se habens. Feriarum tempore ad paternam domum se recipiens solitariam vitam degebat studio ac pietati intendens, afflictationibus voluntariis carnem reprimens.

Ante tempus consuetudine statutum ad sacros ordines promotus est eo quod Episcopus Vicensis quidquam singulare in eo conspiceret et divinum.

### III De ejus apostolico ministerio

Sacerdotio initiatus in patrium oppidum Sallentum missus est. Brevi cives persenserunt eum esse apud suos pacis angelum, concordiae ministrum, mansuetudine agnum, studio animarum ac fortitudine apostolum; in pastoralibus officiis obeundis curatorem indefessum praesertim in adeundis solandisque aegrotis, puerisque catechismum edocendis. Cujus sacerdotalis sollicitudinis exemplum hoc unum adfero: cum dux Pavia bellum in ea regione gereret, a Beato Antonio petiit in pignus amoris, si quid optaret beneficii. Cui respondit sedulus pastor, optare se ut duae meretrices quae oppidanos pessimis exemplis offenderent, inde ejicerentur; quod paucis post diebus jussu potestatis civilis effectum est. Studia animarum exaestuans limites paroeciae pervassurus Romam perrexit, quo facilius per Sacram Congregationem de Propaganda Fide apostolico suo desiderio posset satisfacere. Cum autem sacris exercitationibus vacavisset, nomen dedit Societati Jesu; audiverat enim, si id egisset, facile fieri posse ut ad longinquas missiones mitteretur. At paucos post menses gravi pedum morbo correptus, consilio moderatorum suorum, e Societate Jesu est egressus ut Dei voluntati se subjiceret; inde in Hispaniam rediit. Parochiali ministerio primum est addictus, sed facta sibi potestate paroeciam relinquendi, Catalauniam peragrare instituit per vicos et urbes nuntians evangelium Domini. Adsiduus in contionando, in excipiendis confessionibus, in catechismum docendo, infirmisque visitandis; eamque morum facilitatem ostendebat ut nefarii quoque peccatores eum confidenter peterent, ejusque opera cum Deo in gratiam redirent. Miranti quondam undenam tot vires ad tantos sumeret labores, respondit se tubam esse quam alius inflaret. In insulis Canariis solidum diem in sacris ministerii operibus insumebat et, quamvis incredibiles labores toleraret, parcissimo tamen cibo utebatur, magnamque noctis partem vigilans transigebat et orans. Sed studio animarum incensus, quas deperibat, Beatus Antonius Claret anno 1849 Vici in urbe Levitica Congregationem Missionarium instituit, quos in sacris expeditionibus adjutores haberet, ejusque Congregationis dum vixit sedulam curam egit. Eam Apostolica Sedes confirmavit, magnamque ab illa utilitatem in salutem animarum Ecclesia percepit non solum in Hispania, sed etiam in aliis plus viginti nationibus apud quas est adhuc usque diffusa. Dei providentia semper adstare visa est huic Congregationi quae etiam nunc prosperrimo viget statu.

#### **IV Beatus Antonius Claret Archiepiscopus Cubanus**

Cum a Matritensi Nuntio Apostolico, Pontificis Romani nomine, Archiepiscopatum Sti. Jacobi in Cuba suscipere jussus esset, territus Beatus Antonius, animo concidit, sed tandem voluntati Dei paruit et praepositis oboedientiam praestitit. Jam in maritimo itinere ad nautas et vectores cottidie contionabatur, sub vesperum cum sociis itineris rosarium recitabat. Quibus piis exemplis hortationibusque factum est ut omnes, nec uno excepto, peccata confessi sint atque ad sacras epulas accesserint. Ad Cubam insulam cum pervenisset incredibile dictu quantam opem, quantamque operam adhibuerit in spiritualem utilitatem ac temporale incolarum bonum. Plures religiosos ordines restituit, seminarium clericorum fluentem dissolutumque instauravit vel potius de integro instituit, clerum emendavit ejusque doctrinae ac disciplinae prospexit, multos pios coetus fundavit, religiosas sororibus, quas adduxerat secum ex Hispania, domum aedificavit; aerarium compendiorum privatorum in urbe Sti. Jacobi constituit. In Archiepiscopali civitate sacram missionem peregit quam per integram quadragesimam produxit. Inde facies civitatis mutata, puerique et puellae infimae conditionis, qui nudo corpore per vias urbis vagari consueverant, vestibus induti sunt; generalis communitio in exitu missionis ob Christifidelium frequentiam, tribus sacerdotibus Eucharistiam continenter impertientibus, ad sex horas perduravit. Alibi quoque innumera matrimonia conciliavit atque illegitimae proli ubique consuluit. Ter integram dioecesim visitavit, ter aut quatter in singulis diocesis locis sacras missiones dedit et bonos mores ubique instaurare est adnixus. Magnam piorum librorum vim distribuit multosque pravae librorum flammis addixit, atque instituit sororum docentium Congregationem. Religiosae puerorum institutioni providit per sodales ad catechismum tradendum institutos qui vias peragrantes, vagos pueros ad se appellent, eosque christiana rudimenta doceant. Ex indefessis Beati Antonii laboribus atque incredibili animarum studio tam uberes fructus percepti sunt, ut civilis praepositus insulae arbitratus sit ad prospiciendum Cubanorum utilitati, nihil aliud opus esse quam ad eos Beato Antonio similes mittere Episcopos.

#### **V De delibata a Beato Antonio martyrii palma**

Cum tot et tanta Beatus Archiepiscopus indefesse ageret ad salutem animarum sibi commissarum, non est profecto mirandum, si pravi ac nefarii homines magnum adversus eum odium conceperunt. Quod hac praesertim de causa accidit, quia ille omnibus viri-



bus contra illegitima contubernia bellum indixit et sine ulla intermissione gessit, conatus pessimam eam pestem stirpitus evellere. Cumque legitima matrimonia inter homines nigri coloris et albi civili lege prohiberentur, contra hanc legem non dubitavit scribere, ejusque obrogationem impense efflagitare. Hinc praesertim ortae sunt contra Beatum Antonium irae atque acerbae simultates impurorum ac flagiosorum hominum, qui non semel contra ejus vitam nefaria consilia iniverunt, eaque impie patrare adgressi sunt. In oppido Holguin scelestus homo, secretis societatibus adscriptus, cujus etiam concubinam ille ad bonam frugem revocaverat, inita quoque cum sociis criminis conjuratione, in eum e contione redeuntem invasit, vulnusque profundum ejus genae inflixit, ex quo sanguis effluens vestes perfudit. E vulnere et fistula inde exorta mira ratione sanatus facile intellexit Beatus Antonius nefario huic conatui alios esse in posterum consecuturos, nec scelestos homines quieturos, donec ei vitam eripuissent. Quapropter, non quidem animo fractus, paratus enim semper erat animam pro ovibus ponere, sed ut voluntatem Dei tuto agnoscere posset, de maximo discrimine certiores Romanum Pontificem fecit, ab eo quaerens utrum dioecesi, quam moderabatur, sibi esset nuntius remittendus, an potius quid aliud ad majorem Dei gloriam sibi agendum foret.

## VI **Beatus Claret Elisabeth II Confessarius**

Humillimus Antistes ad majora pro salute totius gentis suae negotia vocatur mirabili divinae providentiae dispositione. A regina electus confessionibus audiendis in Hispaniam reverti jussus est et multo cum bonorum omnium dolore Cubam reliquit de novo munere plane inconscius. Id magna cum utilitate regiae aulae evenit, cujus mores ob assiduas ejus admonitiones atque hortationes ita emendati sunt, ut regina eum magni faceret, eumque in numero sanctorum virum haberet, magnasque ei gratias ageret propter spiritualia commoda quae ab eo perciperet. Nec tamen Beatus Antonius diutius in regis aedibus manebat aut ibi cenabat, nisi ex officio, quod apud reginam gerebat, ad id cogeretur; quo statim ac functus erat ad pia alia opera sedulo incumberebat. Regina matronaeque ejusdem adseclae spiritualibus exercitationibus vacabant atque in rebus quae ad religionem spectant Beato Antonio obtemperabant. Quanto studio, quanta prudentia et constantia munere suo penes Hispanorum reginam functus sit praeter alios testes, auctor exstat gravissimus Archiepiscopus Granatensis. Hic enim arbitratur non sine peculiari divinae providentiae interventu egregium virum ad hoc officium

electum fuisse atque ejus agendi rationem ab hominibus contrariarum partium injuria fuisse reprehensam. Mirabiliter enim reginae conscientiam tum in iis quae ad privatam, tum quae ad publicam vitam spectant moderatus est. Ut columba simplex, sed prudens velut serpens, aulicos dolos ac partium fraudes effugiens, sacri sui ministerii auctoritatem libertatemque integras et incolumes retinuit. Quantum per ea tempora licuit, Ecclesiae atque Hispanico regno profuit, non ab humana sagacitate, sed a divino Spiritu eam prudentiam effragitans quae erat adhibenda in tam difficili munere, quod subiit atque pertulit ut Dei voluntati obtemperaret. Superna hac prudentia ductus Beatus Antonius Claret a politicis rebus abhorruit; si tamen agebatur de pauperibus juvandis aut de proximo subveniendo partes politicas non offendens, sedulus aderat deprecator, nec, cum occasio utilitatem proximo adferendi se dabat, eam unquam praeteribat.

## **VII Beatus Claret Jurium Ecclesiae invictus adsertor**

Devotionem erga Apostolicam Sedem pluries ostendit, ac tum praecipue cum, civili principatu a Pontifici Romano per vim avulso, obsequentissimis litteris ei missis, animi sui dolorem significavit. Cum sollemnia plurium Beatorum canonizationis Romae celebrarentur, nequivit Dei Servus illuc se conferre, sed litteras ad Pontificem misit quibus propensa voluntate adsentiretur declarationibus ab Episcopis, qui Romam convenerant, editis. Cum Hispanicae gentis moderatores in animo volverent Italicum regnum, tum nuper institutum, ratum habere, de hoc impediendo malo cum regina egit; deinde, postquam res haec contra bonorum vota cessit, illico Beatus Antonius Matrino discessit Romamque se contulit, neque prius ad reginam est reversus, quam sui reditus ipsum Pontificem habuerit auctorem; reginam tamen regno exturbatam et ab omnibus derelictam ille non deseruit, eamque Hispania abeuntem in exilium comitatus est; quam pietatem Summus Pontifex laudibus est prosecutus. Haud ita multo post Romam petiit ut Vaticano Concilio interesset, in quo optimum exemplum fidei, pietatis, observantiae erga Sedem Apostolicam praebuit. Ea enim vi pontificiae infallibilitatis causam dixit, ut plures ex patribus qui antea perplexi essent, Beati Claret verbis alacres facti, auctoritatem ejus secuti sint. Tandem extremum spiritum jamjam emissurus alta voce significavit se catholicam fidem juxta nuperrima Concilii Vaticani decreta firmiter profiteri.

### **VIII De postrema Beati Antonii aegritudine et pretioso obitu**

Pluries Beatus Antonius cum Romae versabatur, quo prope-  
raverat ut Consilio Vaticano interesset, instantem suum praenuntia-  
vit obitum. Jam pridem optaverat in exilio vitam ponere, quae sancta  
cupido Deo comprobata est, etenim in monasterio religiosorum Cis-  
terciensium Fontis Frigidi apud Gallos ex hac vita migravit. Ibi co-  
mitem exceptus significationes honoris dignitati suae convenientes  
renuit, tum humilitatis causa, tum propter temporis iniquitatem,  
namque Hispanicus legatus eum in interiorem Galliam detrudere co-  
nabatur. Si quis cum eo loquens aerumnas ejus atque animi dolo-  
res commiserabatur, Beatus Antonius hilari vultu respondebat, nihil  
magis sibi in votis fuisse quam vel in nosocomio vel in monasterio  
vitam explere. Postquam duos paene menses Fonte Frigido commo-  
ratus erat, apoplexi correptus est, neque tamen mentem aut loquendi  
facultatem amisit. Primas ei curas religiosus coenobii valetudinarius  
adhibuit. Tum ingravescente morbo duo Narbone medici, inscio  
Beato Antonio, accessiti sunt. Qui cum esset manitus duos medicos  
in monasterio adesse, morbi conjiciens inde gravitatem, intanter ul-  
tima sacramenta petiit, eaque antea recipere voluit quam in cubicu-  
lum medicos admitteret. Mira animi pietate ac fervore maximo sacra-  
menta accepit; vota emisit in Congregatione Missionariorum suorum  
quam antea instituerat. Jussus a medicis ut bono animo esset, res-  
pondit expetendam sibi atque optabilem esse mortem. Cumque alter  
medicus subjectisset fas non esse sibi mortem cupere, Beatus Anto-  
nius magna vi subdidit: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Quin-  
quies extremum discrimen adesse visum est atque ad extremas preces  
ventum. Quinta tamen vice Beatus Antonius absolutionem petiit. In  
postrema vitae conluctatione, ad fundendas preces unice intentus,  
sanctorum virorum instituto, die 24 mensis Octobris, anno vero 1870  
caelum tandem gloriosus advolavit.



# Beatus Antonius Maria Claret

## Filius Mariae Amantissimus

Clemens Ramos, C. M. F.

Legenti mihi vitam Antonii Mariae Claret, nescio quid prius occurrat mirandum: utrum Beati erga Mariam amor ferventissimus, an Mariae in Beatum luculenta beneficia. Vita enim perillustris Missionariorum Cordis Mariae Fundatoris nihil nisi cantus videtur amoris interminabilis erga Mariam, nihil nisi Mariae in Antonium pluvia gratiarum copiosissima. De utraque re, sicut fecunda ita etiam dulcissima, duabus paragraphis erat in animo agere, sed calamus copiose fluens in priore, ad posteriorem pagellis me privavit. Dicam igitur paucis de supra posita rubrica: *Beatus Antonius, Filius Mariae amantissimus.*

I. Hominis educatio non jam a pueritia solum, nec a nativitate, sed pluribus etiam ante conceptionem annis, incipere dicitur. Parentum vestigia non raro apparent in filiis, illorumque sive bona indoles sive mala in novam progeniem hereditate transmittitur.

Beati nostri Patris Genitores, et nomine et re christiani, vestigium quoddam reliquerunt singulare in Antonii vita: pietatem, scilicet, in Altaris Sacramentum et in Beatam Mariam Virginem. En ipsius Beati verba: «Parentes habui Johannem Claret et Josepham Clara, honestos conjuges timentesque Dei, Sanctissimi Altaris Sacramenti necnon Beatae Mariae Virginis devotissimos».

Quos primos legit Beatus libros, illi has ipsas devotiones firmiter ejus cordi fixerunt. Liber «*Finezas de Jesús Sacramentado*» quem sine lacrimis legere nequibat, in Seraphim Eucharistiae eum convertit, dum alius cui titulus catalaunice «*Roser*», latine «*Rosarium*» illa semina produxit quae novum Dominicum suo tempore germinarunt.

Ab illis jam teneris annis ea precandi formula adsidue usus, mirum in modum labente tempore vulgavit. In schola saepius, domi cottidie recitabat, alternantibus nunc magistris et parentibus, nunc operariis in ipsa Beati domo laborantibus. Initio una, tres cito Marialis Rosarii partes ex officina cottidie in caelum subibant.

Hac aetate frequens erat Antonii in templum Dei aditus. Altare Virginis a Rosario ei erat in deliciis. Pueriles ludos facile relinquebat, audiens Mariae vocem quae carum parvulum clamoribus intimis, sed claris, ad se trahebat. Nec labore multo, nec fatigatione ulla poterat a Mariae altaribus avelli.

Diebus festis, cum nec urgerent labores nec eum traherent ludibria vana, orationi amplius vacabat maximoque afficiebatur gaudio ad sacram aediculam currens Virginis dictae «de Fussimagna», quam ab Sallento duabus circiter leucis distantem, magna colunt pietate Sallentini.

Septemdecim erat annorum cum, domum paternam deserens, Barcinonem se contulit, devotionem autem erga sanctam Virginem non reliquit. Barcinone Vicum petivit, qua in urbe, antiqua simul et pia, nova erga Virginem amoris pignora dedit, hujus enim temporis decursu adsociationibus Marialibus nomen adscripsit et illas per templa incoepit visitationes Sacramenti Altaris et Beatae Virginis de quibus ingenuus ipse adfirmat: «Has visitationes numquam omisi; neque pluvia neque nives ab hac me visitatione retraxerunt».

Sacerdotio initiatus anno 1835, suam sacerdotalem vitam statim Mariae credidit, cujus suavissimam medullam ostendunt haec documenta spiritalia quae sibi proposuit implenda anno 1843, quaeque postea sunt non semel prelo mandata in opusculo Claretiano «*Avisos a un Sacerdote*»: «Plane me totum obfero in Mariae filium et sacerdotem, ideoque antiphonarum coronam «Gaude, Maria Virgo, etc.» singulis diebus recitabo. Ipsa (Maria) erit mihi Mater, Magistra; Directrix. Ipsius omnia erunt quae in hoc faciam sive patiar ministerio, cum fructus Illius esse debeant qui arborem plantaverit.

Non multo post, annis 1845 et sequentibus, devotio erga Cor Purissimum Mariae tanquam scopus princeps in Beati praedicationibus ingredi videtur. Qua de causa tanti Cordis Archiconfraternitatem populis indefesse obtulit et Fraternitates non paucas in Catalaunicis praesertim provinciis stabilivit. Apostolatus hujus coronis, Congregatio Missionariorum non inmerito haberi potest, quam «Immaculati Cordis Mariae» nuncupavit et sub materno ejusdem patrocinio collocavit.

Scripta novi Beati devotionem etiam spirant erga Mariam Virginem, ex quibus non minus septem de ipsa Virgine tractant. De sermonibus nihil dicemus. Egregium eum Mariae apostolum habent quotquot de Beato Antonio aliqua vel audierunt vel legerunt. Merito quidem, nam ipse Mariae praeco clarissimo amico ingenue confessus est, esse a Maria missum esse ad praedicandum et Mariam sibi dictare sermones».

Eodem recurrente anno quo Missionariorum fundavit Institutum, archiepiscopus Sancti Jacobi de Cuba a Pio IX est renuntiatus. Quam invite ad tantam adiret dignitatem latet neminem, suscepit tamen honorificum onus.

«Novus Ligorius a biographo quodam Antonius noster meruit adpellari. Id equidem propter suam pietatem in Mariam. Dignitate enim episcopali semel accepta, nomini suo Antonio Mariae nomen adjecit; Virginis effigiem suo pastoralis baculo voluit sculptam; stemmati praelatio diversa Virginis symbola imposuit; diaecesim ubi est ingressus, eam sub caelorum

Reginae patrocinio conlocavit. Pluries a pluribus auditus est voce magna fervidoque pectore e suggestu clamans: «Non ego Praelatus, non ego; sed Beata Virgo hujus erit dioecesis Praelata». Inter opera Mariani, quo ardebat, studii possumus adnumerare coronas Rosarii innumeras quas, Visitatione Pastoralis perdurante, manu prodiga largiebatur; pietatem in Mariam tempore quo privilegium Conceptionis Immaculatae a Pio IX est definitum, hujus occasione scribens illam pastoralem epistolam, optimam certe Beati, quam ipsa Beata Virgo, voce de imagine delapsa, dignata est adprobare; foundationem singulis dioeceseos parochiis Confraternitatum Sanctissimi Virginis a Rosario necnon Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis; consecrationem denique Marialem hoc tempore signatam et illam chartulam, quam possumus vocare, mancipatus Beati nostri erga caelorum Reginam.

En consecrationis verba: «Ego Antonius Maria Claret et Clara, archiepiscopus, omnes omnium hominum vitas habere vellem ut eas in Beatae Virginis famulatum consumerem; vellem omnes omnium Sanctorum Sanctarumque caeli habere vitas ut eo sanctissimam Virginem Mariam Dei Matrem prosequeretur amore, quo illi jam in praesentiarum amant. Toto animo cupio regna omnia, omnes provincias, urbes, populos; viros, mulieres, pueros puellasque in eis habitantes, cognoscere, diligere, laudare sanctissimam Mariam Eique servire tam vehementi quo caelites faciunt ardore. Mori cupio meumque usque ad ultimam guttulam fundere sanguinem ob reverentiam simul et amorem Mariae Virginis Matris Dei. Opto ut Jesus mihi concedat gratiam, itemque fortitudinem qua egeo, ut omnia membra mea torqueantur singula et sectentur propter amorem et reverentiam Matri Dei meaeque Matri Mariae. Fiat, fiat.

Chartula mancipatus haec habet: «Bene noscis (loquitur Domino Miura) me voluntatem propriam non habere; servus sum Dominae meae servusque aliam habere non potest voluntatem ab illa voluntate Dominae cui servit.

Ex his adprime constat: Beatum Antonium verum Mariae amatorem extitisse et uti verum Mariae apostolum se gessisse et laborasse. Nunc verbum addamus agentes tanquam verum Mariae filium in sinu caelestis ejus Matris mortuum esse, hymni «Magnificat» strophas decantantem, suamque Marialem coronam P. Jacobo Claret elargientem, optimam cum ea filiis suis hereditatem legantem. Epitaphium Beati Ludovici de Montfort sepulchro aptarem nostri Beati:

*Quid cernis, viator?*

*Si vitam petis, nulla integrior;*

*Si paenitentiam, nulla austerior;*

*Si pietatem in Mariam, nullus Bernardo similior, etc.*

## *Servus Mariae*

*Macarius Ruiz López de Zubiria, C. M. F.*

*Gesta virumque cano, cujus venerabile nomen  
Nobilis augusti Patris in orbe fuit.  
Et domini servum semel, eugel iterumque beatum  
Laudibus exornet terra benigna Patrem.  
Nam celebris veniet, lustris volventibus aetas,  
Cum tua, mi Claret, gloria semper erit.  
Floribus hinc frontem Sancti circumdare vellem,  
Hinc laetus meritum cingere flore caput.  
Supremus Pastor claves qui possidet orbis,  
Praedicat insignem, floris honore novi.  
Lucem adspexit primam mundi Antonius istam  
Sallenti in populo, patribus atque piis,  
Qui Jesu Christi magno stimulatus amore,  
Concinit et laudes, optima Virgo, tuas.  
Et soror et frater certant ornare sacellum  
Et manibus gratis, munera parva ferunt.  
Carior est juveni Mater quam cetera terrae,  
Et quae prae cunctis sint cupienda viro.  
Haud mundi, inquit, divitias fructusque requiro,  
Nihil mihi vobiscum, Virgine nam repleor.  
Si mare, si terras, si gaudens litora currit,  
Matrem constituit praeter amare nihil.  
Fortiter et matris laudem Archiepiscopus ambit,  
Angelicae mentis luce tuctur eam.  
Pignora nunc cupiam bonitatis prodere cuncta  
Matris quae reddit maxima pro minimis.  
Filiam amans Genitrix sicut sub pectore servat,  
Nostrum sic puerum candida Virgo tegit.  
Quae sciri valeant ardenti discit amore,  
Sanctorum stella sed sapiente duce.  
Cui dum missarum peragit sollemnia quondam  
Virgo laetanti conspicienda venit,  
Ac manibus Jesum gestans pulcherrima mater  
Caelorum regem grata hilarisque dabit.  
Angelici Claret non laus Mariana peribit,  
Flammae cum solvent quidquid in orbe fuit.*

# Beatus Claret, Homo Dei miraculis clarus

Antonius Blanch, C. M. F.

## I Sanctitas miraculis comprobatur

Quae sanctitas, ut peculiaris nota, Ecclesiae Christi convenit, eam non modo amplectitur, quae omnibus communis est fidelibus qui in gratia Dei sunt; nec eam tantum quae perfecta dicitur, eo quod evangelicorum consiliorum praxim superiori adjungat; verum etiam supremum illum, eumque prae primis, sanctitatis gradum quem sanctitatis heroicae nomine mos est insigniri.

Sanctitas haec heroica, quamvis suo splendore sese prodat luculentissime, (eam namque plus quam humanam rationem agendi solis naturae viribus adscribere sanae mentis audebit nemo); at vero, cum de re agatur unius Dei iudicio obnoxia, ut quispiam mortalium eo sanctitatis pervenisse incunctanter censeatur, Deitatis sigillum, miracula nempe quae id patefaciant, adesse necessum est. Quamobrem perspicere tibi licet, inquit ad rem Gazzaniga, «in eorum (sanctorum) canonizatione, Ecclesiam minime esse contentam illis virtutibus heroicis de quarum veritate rigidissimum... et accuratissimum examen instituit, sed etiam gloriam miraculorum requirere; quasi de virtutum examine, utut diligentissimo, adhuc diffidat, nisi Deus qui solus est scrutator cordium, externo miraculorum sigillo, internam illorum sanctimoniam manifestet atque confirmet ut omnis illusionis, fanaticismi aut hypocrisis suspicio procul amoveatur.» (1)

Nunc vero, postquam Servi Dei. Ven. Antonii M.<sup>oe</sup> Claret virtutum heroicitas, sollempni Ecclesiae iudicio Rom. Pont. Pii XI ore prolato anno Domini 1926 in comperto posita est, ut ille altarium honore beatificatione cumulari posset, nihil reliquum erat nisi ut duo miracula, ejus intercessione post mortem patrata, canonicè adprobarentur. Id quod nuper peractum esse ab eodem Pontifice Max. in Cong. Plenaria Cardinalium habita die 13 superioris m. februarii, norunt omnes; qui demum eundem Servum Dei paucis post diebus, die nempe ejusdem mensis 25, in Albo Beatorum referebat, plaudentibus omnibus, iisque innumeris qui ubique terrarum Beatum Antonium Mariam Claret et devoto et grato animo prosequeuntur.

Hanc nactus occasionem, de Beati Patris nostri thaumaturgica virtute sermonem instituere placuit, non ea quae par erat elegancia verbi intenta rei amplitudine, sed pro modulo mei ingenii, quod sentio quam sit exiguum. Prodigia aurem quae ex mirifica illa virtute prodire, alia dum vir Dei mortalem vitam debebat pa-

(1) Vol. I. p. I. c. 7, a. 3.



trata sunt vel ad ejus doctrinam confirmandam, vel ad ejus labores remunerandos; alia vero postquam ad superos evectus est, ad eximiam ejus sanctitatem et efficacem apud Deum intercessionem ostendendam.

## II Miracula in vita

a) *Ad doctrinam ejus confirmandam.*—Atque, ut a primo exordiamur, an non ipsamet Servi Dei vita, si ea attente et conjunctim perspiciatur, uti tale miraculum sese nobis exhibet? Idque non tantum ob virtutes sanctitatemque quae mirabilem illam reddebant, sed etiam quod, ut omnibus notum erat, ea vita tot tantisque negotiis distenta diu noctuque confessionibus audiendis, verbo Dei praedicando, aegrotis visitandis, orationi et studio et librorum compositioni occupata, temporis spatium dumtaxat brevissimo quieti et refectioi concessio, solis naturae viribus explicari non posset.

Huc accedit divinum illud lumen quo arcana detegebat et improborum hominum consilia et abdita conscientiae perscrutabatur; quod quidem expertus est raedariorum ille qui ut Dei Servo molestiam afferret; «Visne, inquit illi, mei muli confessionem audire?»; cui Dei Servus: «Tuam mehercule lubenter audirem, quam septem abhinc annis neglegis». Admonitio felicem obtinuit effectum, improbus enim homo sincere resipiscens, illico cum Servo Dei confessionem instituit atque in bonam frugem se recepit.

Innumeros casus huic similes, brevitatis ergo, missos faciam ut ad alia deveniam quae potiore forsitan jure miraculorum nomine insigniuntur. Plura sunt enim mirabilia quae supra naturam operatus est Dominus B. Antonii Mariae intercessione, quibus et ejus praedicationem confirmaret et apostolatam redderet fecundior.

Quem in finem tali eum donavit sanitatum gratia ut cujuscumque generis aegritudines mirum in modum sedaret, vel simplici benedictione, vel sola manuum impositione, vel medicamentorum applicatione quae aliunde quam ex ejus precibus medendi vim pollere nequibant. Nec his limitibus clauderetur Servi Dei virtus thau-maturgica. In pago Viladrau ad radices Montissenis, dum illam paroeciam regeret, voraces incendii flammis sola benedictione extinguere visus est. Ut ab angustiis mendicorum liberaret, qui tabaci sacculum secum ferens, interdictione commercio acquisitum, cujus venditione sui suorumque indigentiae subveniret, a vigili custode jam jam erat deprehendendus, solo verbo tabacum in legumina et, transacto periculo, rursus legumina in tabacum convertit. Anno Dom. 1852 B. Antonio M.<sup>a</sup> Archiepiscopatum Sti. Jacobi in Cuba regente, quum terrae motus flagellum tot tantisque clades in tota insula produxerit, una erat omnium vox, terrae trepidationem quiescere, ubi primum vir Dei solo manum applicaret.

Brevis esse laboro, idcirco alia bene multa quae extremo calamo certatim sese offerunt, silentio praetereunda duxi. Hactenus dicta satis aliunde probant, de Bto. Patre nostro, non secus ac de primis apostolis, dici posse eum ubique terrarum praedicasse, «Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis». (1)

(1) Marc. XVI. 20.

b) *Ad labores ejus remunerandos.*—Verumtamen inter prodigia quibus tota scatet vita apostolica B. Antonii Mariae haud diffidendum non pauca ad spiritualem Servi Dei Consolationem plusquam ad ejus apostolatus fructum a Deo ordinata fuisse. Hac etiam in re quam gratum foret animo laxas habenas dare sermoni. Ne tamen praestitutos limites nimium excedere videamur, indulgendum erit calamo et pluribus supersedendum.

Ea tamen mirabilia quae ex dulcissimo M. Virginis amore erga filium dilectissimum ortum habebant omnino silentio tradere nefas est. Adulescens dum quadam die corporis munditiei ac valetudini providens in Mediterraneo mari prope Barcinonem balneo locum daret, inopinato

. . . . . «*venti volvunt mare, magnaue surgunt  
aequora. . . . .*»

et Antonius ingenti aquarum motu raptus

. . . . . «*jaetatur gurgite vasto*»,

atque omni spe et humana ope destitutus, supplices tollit ad sidera manus. Eam ferventer invocans quae Stella maris salutatur; ac vix finita prece extemplo incolumen se respicit in littore, nullo in veste qua operiebatur humiditatis vel madefactionis vestigio relicto. Rursus in periculo versans, non corporis sed animi, ob vehementissimam, qua oppugnabatur, carnis tentationem, post tenacem resistantiam heroum more adhibitam, hostibus viriliter superatis, caeli Regina sese ei praebet benignam et amabilem, atque coronam victoriae lucratam ei ostendens, perfectam adeo castimoniam promittit, ut deinceps usque ad extremum vitae nullo unquam carnis stimulo impeteretur. Eadem fuit pariter piissima caeli Regina quae Servum suum B. Antonium Mariam elegit cui committit magnum opus fundandi Missionariorum Congregationem, ei revelans, inter alia praecipua tanti operis lineamenta, gloriosum tenerrimumque nomen Filiorum sui Cordis Immaculati, quo agnoscendi et salutandi essent in Ecclesia illius Congregationis sodales, atque promittens magnificum operis incrementum et evolutionem ubique terrarum, ejus perduratiorem usque ad finem mundi, omnesque qui in ea Congregatione e vita decederent salutem aeternam adepturos. Haec eadem divina Mater quae multoties ejus scripta adprobavit, tunc vero maxime cum e quadam sua imagine eum alloquens clara et distincta voce ei dixit: «*Bene scripsisti*». — Haec eadem Mater amabilis, quae... sed gressum teneamus.

Horum omnium prodigiorum facile princeps, illud fuit quo ipsi, eadem caeli Regina interveniente, concessum est in suo pectore species eucharisticas perenni miraculo ab alia in aliam communionem conservare. Hoc contingebat die 26 mensis Augusti anno Domini 1861. Et gratia vere extraordinaria quae in Historia Ecclesiastica rarius apparet aliis Dei Servis concessa, B. Antonius evassit vivens quoddam Christi Eucharistici tabernaculum ac cum ipso Christo unione quidem sacramentali perenniter conjunctus, quasi voluisset Deus mirabilem hunc modum excogitare quo B. Antonii Mariae anima ad supremum illum unionis cum Deo gradum elevaretur qui mysticum matrimonium appellari solet.

Quodsi Deus fidelissimo Servo ea praestitit singularissima dilectionis signa, mirabimur si ei praeberit, quod speciali revelatione vere praebuit aeternae beatitudinis securitatem?

### III Miracula post mortem

At vero miracula, ad quae potissimum attendit Ecclesia ut iudicium promat decretorium circa cujuslibet servi Dei sanctitatem, ea sunt quae post mortem operatur Deus ejus intercessione et invocatione. Quantumvis enim sublimissimus sit perfectionis gradus quem quis attigerit, non ideo quamdiu vitam degit in terris impeccabilitatis dono frui censendus est. Una finalis perseverantia quae morte sigillatur est definitivum sanctitatis complementum, quod securam reddit aeternam beatitudinem.

Cum de B. Patre nostro agitur in hoc etiam miraculorum genere largum se praebuit Dominus; sunt enim innumera quae illius intercessione continuo patrantur. Qui ea enucleatius cognoscere velit, adeat meritissimam ephemeridem hebdomadariam *El Iris de Paz* ubi in speciali sectione recensentur favores intercessione Servi Dei obtenti; favores qui non raro iis apparent caracteribus signati quibus facile probantur vera esse miracula. Ad nos quod attinet, duo tantum in medio promemus quae ab Ecclesia uti praevia ad Beatificationem sollemniter adprobata sunt.

Primum Ilerdae locum habuit mense majo finem attingente a. Dom. 1897 in devota puella Xaviera Mestre, postea Religiosa Societatis Mariae, vulgo *de la Enseñanza*. Haec cum esset victima magni cujusdam accessus pupulae confluentis, totum ejus corpus pustulis scatebat, praesertim in capite, lingua et facie, adeo ut nec oculos aperire valeret. Doctor rem censuit desperatam mortemque proxime imminere. Quibus in angustiis nocte quadam cum major esset afflictio, V. P. Antonii Mariae recordantur mater et filia, eundemque fervide et fiducialiter invocant, adplicata simul infirmas porticula vestis quae Servo Dei usui fuerat. Brevi puella somnum conciliat ac postero die Doctor miratus perfectam infirmas sanationem testatur, adeo ut nullum ei infirmas vestigium superesset.

Miraculum alterum ab Ecclesia adprobatum, Barcinone factum est anno 1930 in persona cujusdam religiosae Philippensis dictae Benigna Sibila Alsina. Benigna tribus abhinc annis aegra utebatur valetudine ob ulcus gastricum ad cujus madellam nequidquam adhibita sunt omnia medicamina. Tandem omni humana spe abjecta, infirma eo debilitatis erat progressa ut mors et inevitabilis et jamjam imminens censeretur, de supremis auxiliis spiritualibus ei ministrandis ageretur. Tunc Benigna vehementem experitur animi impulsus ad gratiam curationis a B. Antonio Maria, quem magna devotione prosequatur, expostulandam. Hunc in finem alia ejusdem Instituti Religiosa comitante incipit novemdiale precum ad Servum Dei, dum ejus reliquiam sibi adplicat. Duobus prioribus diebus gravior evasit infirmas status, neque tamen ejus fiducia in caelesti Protectore minuebatur. Demum tertio die, oh rem mirandam! infirma adparet perfectae prorsus sanitati restituta, adeo ut posthac iis-

dem omnino alimentis utatur ac ceterae Sorores quae bene valeant. Inpraesentiarum eadem bona valetudine fruitur.

### Conclusio

Haec dicta satis sunt in re amplissima quae plura nata est replere volumina. Discant ex dictis qui B. Antonium M. Claret devotione prosequuntur recurrere ad eundem in omni infortunio, anxietate, periculo, discrimine, ac crescat in dies singulos eorum fiducia in tanti Protectoris intercessione, ejusque sanctitatis et validae intercessionis notitiam inter fideles propagare satagant. Nosque omnes ad illum fervere recurramus supplices deprecantes ut ipse qui degens in terris tanto studio et assiduitate adlaboravit in spirituale et temporale Hispaniae bonum, nunc e caelo amplissimam suam protectionem supra eam extendat, eamque perenniter recta et tuta semita in veram prosperitatem manuducat. Fiat!

Scribebam Barbastri octavo kal. Martias, anno Domini 1934.

## Qualis apud Claretianos vigerit vitae sanctitas

Leander Fanlo, C. M. F.

Quoniam nostri dilectissimi Parentis sanctitas nuperrime est a suprema mundi auctoritate sancita, quae res pectoribus laetitiam movet, omnino congruum videbitur in hisce PALAESTRAE pagellis perstringere, qualis apud nostrates vitae sanctitas floruerit. Quod si filiorum virtutes parenti decus sunt atque ornamentum, hi tandem versiculi ad Fundatoris gloriam referentur.

Porro is qui de rebus humanis ita sentiunt ut christiana fert opinio, potius admirationem movet in familiis religiosae sanctorum sodalium copta, quam eorum qui dicendi arte aliisve disciplinis, quantum vis, floruerint; il, nempe, amantur qui vestigia Christi persequenda jugi perennique studio curaverunt ac citra communem tritamque plerorumque Deo famulandi rationem progressi sunt. Sed

jam ad propositum devenio. Si dicam nostram Congregationem omnium ob oculos ponere posse non modo quosdam sed plures ex sodalibus, qui spiritu Fundatoris imbuti laetissimos sanctitatis dedere fructus, ne nostra putide jactare censear. Nihil est enim quod verear dicere hanc esse maximam illius gloriam, quae locum nequaquam humilem obtinet inter alias religiosorum familias. Re quidem vera ex nostratibus non defuere qui miraculis donisque supernis aucti, communem omnium in se admirationem raptare oreque pleno sancti sint nuncupati; aliis quoque praeter illos qui absconditam humilemque prorsus vitam egerunt et suo cujusque officio adprime satisficientes, non minus heroicam sanctitatem consecuti sint.

Praeter Fundatorem quattuor virorum ex eis sanctitas per processum cano-

nicos ad beatificationem incoepa est agitari. En tibi brevissimam eorum rationem: *Jacobus Clotet* ex quinque primis Fundatoris sociis, qui spirituum discretione aliisque caelestibus donis ex cultus, animi candore longè excelluit, et cum esset magnis sui muneris curis implicatus jugiter Deum prae oculis habere numquam destitit. *Franciscus Crussats* qui primus in Congregatione, jugulis impiorum occubuit duplici coronatus laurea, martyrii nempe et innocentiae, quam ardentissimo in Deum amore suffultam, totum vitae tempus illibatam servaverat. *Marianus Avellana* quem una omnium vox indigebat *Sancti* nomine. Vir fuit qui indefessa opera se, primo satis imperfectum, ita perpolivit ut postea argumentosam missionum vitam cum altissima contemplatione admiscere adeptus fuerit. *Paulus Vallier* denique, qui pro solito miraculorum ac dono prophetiae fructus, animae puritate et cordis in Deum ardore, angelis parem se reddidit, Aliorum virorum nomina apud nostrates veniunt animi proceritate insignes quos hic consignatos volo: *Donatus Berenguer*, *Franciscus Berenguer*, *Antonius Molinero*, *Johannes Heras* sacerdotes, et frater conversus *Michaël Xancó*. Hi quinque ex una Cilena Provincia deprompti, et quibus, ut ait R. P. Medardus Alduán cui hujus rei nemo negabit peritiam, si suo opportuno tempore processus canonicus instructus esset, bene conjicere possumus eventum obtentum iri felicem.

Eumdem locum plus minus vindicare possumus et aliis non paucis praestantibus viris. En tibi aliquos quorum pleri-

que miraculis claruere. *Stephanus Sala* et *Josephus Xifré*, uterque Instituti Moderator supremus; *Ignatius Carbó*, *Josephus Maciá*, *Jacobus Serra*, *Isidorus Vila*, *Cajetanus Girbau*, quem Latinitatis amatores aliunde norunt, *Julianus Intrón* et *Gerardus Palomera* quorum duorum sepulcra hodie dum exstant miraculis clara; *Andreas Solá* qui junior pro Christi nomine in Mexicana republica plumbatis glandibus confossus nuper vita cessit. Cui pernobilis catalogo etiam de junioribus scholasticis sunt accensendi: *Ignatius Buil*, *Jacobus Puiggrós*, *Johannes Puigmitjá*, *Eusebius Boffil*, *Antonius Pérez* alique qui insueta innocentiae vita omniumque cultu virtutum illustres exstitere et sanctorum juventutis patronorum vestigia adamussim sunt sectati. Neque desunt inter viros sanctissimos de fratribus adjutoribus; commemorandi tamen *Franciscus Vilajosana* fervore ac patientia quam qui maxime meritissimus, *Emmanuel Giol* qui visibili angeli custodis consuetudine se recreavit; *Marianus González* qui post plurima data virtutum specimina, denique in Mexicana republica pro fide et Congregatione interfectus est; *Petrus Marcer* qui cum esset humilis janitor multos ad bonam frugem convertit et lumine caelico eorum intimum pectus inspexit. Aliorum mihi nominum fuit in primoribus calamis copia numerandorum; ast ea praetermitto ne extraneos lectores ignotorum hominum multitudine fatigem. Faxit Cor Purissimum Mariae Beato nostro Legifero efflagitante, ut numquam hoc virorum genus optimum in nostra Congregatione desideretur.

# Nobilis Religiosarum familiarum conditor

Philippus Calvo, C. M. F.

Merito et jure Btus. Antonius M.<sup>a</sup> Claret ab artium et scientiarum cultoribus Mentor et Maecenas salutatur; ab Ecclesia benedictus Pastor et pervigil Praesul; a Patria defensor civitatis et regni. Ejus tamen perennior et splendidior gloria est quod Conditor agnoscitur et Pater nominatur religiosarum institutionum et societatum, quibus superstitibus et vigentibus, defunctus adhuc loquitur, utpote qui corpus et spiritum, vitam scilicet suam cum suis communicat; et ita fit ut, proprio spiritu in Ecclesia ad Dei gloriam perdurante et vigente, regenerato evadat ille et tutor christiani spiritus procellosis hisce temporibus, ipsiusque Christi Redemptoris cooperato et minister, quod nuper in fastis Bti. Patris Romani Pontifex sollemniter declaravit.

Filii filiaeque puritatis et caritatis, angeli hujus apostolici et apocalyptici sunt virorum feminarumque coetus et legiones quas, tanquam sacerrimam phalangem ad spiritum Christi renovandum, regnumque dilatandum et instar spiritualis et apostolicae hierarchiae constituit ordinavitque.

## I Religionum Pater

Primam aciem aperit Congregatio Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, et a Summo Pontifice Pio XI dignoscitur et insignitur «inter religiosas familias quae militantis Ecclesiae decus et ornamentum merito vocari possunt». <sup>(1)</sup>

Institutum hoc Vici in Hispania a. 1849 conditum unitate propositi rationumque pluralitate colligit atque per mundi plagas diffundit unum Patris spiritum multiplicemque apostolatam, oralem et scriptum, orationis et actionis, doctrinae et operum, «perpendentem quasque novissimas mundi necessitates, quod proin, ut verbis auctoritate plenis Romani Pontificis utar, apostolatui in sua hodierna et peraptissima specie convenit». <sup>(2)</sup>

(1) Decretum approbationis S. S. Constitutionum, a. 1924. — (2) Allocutio ad superiores Majores, 5 Mart. 1934.



Formalis et specifica ratio hujus missionariae Congregationis est integra traditio, perpetua dicatio et canonica cujusque membri consecratio purissimo Cordi Beatæ Mariæ Virginis tanquam redemptionis et salutis medio et misericordiarum fonti in objectum et finem apostolicum Instituti, vitæque plane et plene filialis erga ipsum Virgineum Deiparæ Cor, quod nuperrime nostrorum supremo Coetui adstanti, Pius Papa XI satis innuit immo et protulit hisce verbis: «Fundatoris glorificatio operi Redemptoris cooperatrix accedit, christianam enim vitam animabus præbet: vitam, dico, quam Missionarii quæque ferendam acceperunt. Ita procedere debent Missionarii ut ad Cor Redemptoris per Cor Mariæ Immaculatæ veniant.»<sup>(1)</sup>

Hunc filialem morem et amorem erga Mariæ Cor præ primis voluit B. Pater filiis ingignere et quoquo modo alere et perficere; satisque suam patefecit convictionem et devotionem cum in hortando quondam majores nostros ad spiritum finemque vocationis adipiscendum; Congregationem asseruit conditam ab ipsa Virgine sibi consiliante et adjutrice, versusque ad Matris simulacrum, quod præsidebat, ait: «Nonne, Domina, recordaris? Nonne?» Specialis a Fundatore æternæ salutis promissio comitatur omnibus et singulis temporali vita in hac Congregatione functis.

Jam pro femineo sexu respondet Institutum Sororum Mariæ Immaculatæ et Institutionis, cujus incunabula Sancti Jacobi in Cubana insula exstiterunt.

Divina accedente voluntate Beatus Antonius Maria devotissimæ Antoniaæ Paris propositum probationi et dilationi submisit, quibus patienter et humillime exantlatis a Matre Fundatrice, sanctus Archiepiscopus novi Instituti paternitatem per approbationem, adoptionem, sustentationem et tutelam ipse sibi cumulavit.

## II Piarum Institutionum Constitutor

Alterum apostolicæ hierarchiæ ordinem juxta mentem verbaque Fundatoris Clerici sæculares constituunt, qui communem degentes vitam specialibus regulis diriguntur, quarum præcipuæ ex operibus V. Bartholomæi Holzhauser fere depromptæ sunt. Clerici sæculares cum Missionariis triplicis finis prosecutione conveniunt; gloria Dei per sacrorum Cordium Jesu et Mariæ devotionem, propria sanctificatione et aliorum salute curanda; differunt vitæ rationibus et ministeriali oboedientia. Utque talium Presbyterorum formationi provideret, edidit B. Claret pro Hispania originali sermone Latino

(1) Allocutio ad Superiores Majores, 5 Mart. 1934

«Constitutiones juventutis in Seminariis ad vitam sacerdotalem Clericorum Saecularium in commune viventium educandae, a Summo Pontifice Innocentio XI approbatas».

Prostant inde «Institutiones et Regulae pro virginibus Christianis quae vivere optant more religiosarum in saeculo»; quaeque hoc nomine veniunt: «Religiosae in suis laribus seu Filiae Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae». In quibus tres distinguuntur gradus seu particulares hierarchiae, ut verbis utar Bti. Patris. Inferior hierarchia est infantularum plane innocentium quas ab ipso baptismatis lavacro vel saltem ante discretionis aetatem et omnis malitiae notionem, matres prudentes Matri Virgini ejusque Purissimo Cordi commendant et consecrant; et a primo lumine mentis et discretionis momento eas edocent oratiunculas et morales sententias quae earum animas incolumes servant et illibatas. A duodennibus puellis ad virgines quadragenarias secunda seu media hierarchia decurrit, perque id tempus primum et privatim de consilio confessarii voto castitatis incepto, ter in anno renovant pro sequenti spatio a festo ad festum nempe Immaculatae Conceptionis, Anuntiationis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, quibus festis occurrentibus quaelibet soluta manet et libera sive ad iterandum votum, sive ad sacras nuptias adeundas. Denique usque ad quadragesimum annum cum sancto proposito pervenientibus in eoque perseverare cupientibus voti perpetui castitatis emissio conceditur. Cum hac tertia et suprema hierarchia secundus veluti ordo mulierum concinnatur.

Omnibus praelaudatis B. Pater dicere potest cum Apostolo: «In Christo Jesu per evangelium ego vos genui».

### III Institutionum et Religionum Fautor

Accedunt et aliae religiosae institutiones et societates, quibus consilio et ope praesto fuit; et ante omnes Confraternitas Sanctissimi et Immaculati Cordis B. Mariae Virginis pro conversione peccatorum a. 1836 Parisiis condita; cujus certe non pater, utique vero strenuissimus et eximius propagator ore et scripto exstitit. En ejus verba: «Mihimetipsi visus sum maxime defecturus a mea sublimissima missione nisi quandam licet breviusculam de hac archiconfraternitate notitiam dederem.» Enixe diffusam et suae apostolicae phalangi connumeratam, tertium ordinem eam constituit.

Inter religiosarum Instituta quorum existentiae favit vigoremque fovit, memorare juvat: Serores Carmelitanas a Caritate, a V. Joachima Mas de Vedruna Christo editas, quarum Beatus Antonius prima vota suscepit (a. 1844) et Constitutiones auxit, et pro quibus



regalem beneplacitum Apostolicaeque Sedis approbationem obtinuit; Religiosas Adoratrices quae Matrem norunt atque invocant Sanctam Michaëlam a Sanctissimo Sacramento, Beati Claret consilia et directionem studiose quaerentem. Sorores vulgo «De la Divina Pastora», Matrem habentes devotissimam Annam Mogas de Foncuberta, quarum primordiis arrisit (a. 1849), deque radicatione, evolutione et diffusionem quam qui maxime satigit. Quis tandem numerare vel meminisse poterit tot tantaque in diversis monasteriis patrata, ut singulas moniales et communitates integras ad regularem observantiam vitamque communem efficaciter duceret vel ad excelsam perfectionem feliciter appelleret?

#### IV Paulus Hodiernus

Quod si de cunctis ad quae pervenit paternalis actio et apostolica sollicitudo Beati Patris Antonii sermonem vel mentionem tantum facere vellem tot comprehendi debebant quot in Hispania, et America christiano censebantur nomine, immo et quod nunc temporis hinc inde censentur et Hispanica dictione utuntur; quaque enim Beati Patris libri, opuscula et volitantia folia pluries per decies centies milia disseminata grassantur. Hac ratione Christianis omnibus, tanquam parvulis in Christo lac exhortationis et doctrinae largitus est sub specie monitorum et consiliorum, cuique suum. Videsis «Monita utiliora patribus familias, consilia utiliora nuptis, viduis, puellis, adolescentibus, pueris militibus, clericis.....»

Quibus omnibus ita, fas est Beatum Antonium Mariam Claret non modo religiosarum familiarum piarumque societatum conditorem et Patrem, sed militiae divinae Strategam, actionis catholicae praecursorem, et hodierni apostolatus Patriarcham appellare.

Cervariae, pridie Idus Martias

# Congregatio Claretiana Missionum Decus

Vicentius Carrion, C. M. F.

## I Claretianorum agri missionales

Missionariorum Congregatio, spiritus Apostoli saeculi XIX heres indefessa, uberrimam ab eo accepit in campis missionum operositatem.

Adjuncta historica et interna et externa impedire quominus 30 prioribus vitae annis, eam exercerent operositatem missionalem, nisi in campis missionum numeres Cubanam Insulam, in qua egregius Conditor cum aliis missionariis Evangelium praedicavit (1851-1857), missionem Argeliae (1869-1880), Americam Meridionalem (1870). Ceterum ministeriorum amplitudo quibus jam inde ab initio Congregatio operam dederat, ejus volatus ad latiore missionariam actionem continuit. Anno 1883 ortum habuit prima inter infideles missio: 130.000 Hispaniarum subditi Deum non noverant, et paganismi tenebris obscurabantur. Novi Instituti fervor et animus duodecim missionarios Hispanicis possessionibus Guineensibus porrexerunt: Fernando Poo scilicet et insulis proximis et parti continentis Africani. Non Instituti fervor et animus, sed exiguae vires quibus uti poterat, ad hunc missionum arzum admovebantur; at progredi necesse erat. Apostolico igni pabulum addit Colombiana Respublica, quae, annis circiter 1907-1908, consilio inito ad civilitatem reducendi latissimos silvarum populos, primum civilitatis elementum quaesivit die 14 februarii anni 1909. Missionarii Quibdo pervenerunt, ad Caput scilicet Praefecturae Chocoanae, activitatem distenturi in septuaginta animarum millia, in campo adeo lato, quem postea dividi opus fuerit, ut Praefecturae Urabá praeberet originem. Ardor in Missiones velut annis effusus in dies augebat. Benedictus XV et Pius XI litteris Encyclicis hunc ardorem fovent et moderantur. Missionariorum Congregatio tanquam magni hujus fluvii guttula, quinque novos missionum campos fecundavit: Vicariatum Apostolicum Darien (Panamá 1925 a Septentrione Praefecturam Chocoanam attingentem, provinciasque continet Colonensem et Darienensem, Praefecturam (Administrationem Apostolicam) Sti. Blasii et insulas *De las Perlas*, cum quinquaginta millibus animarum; Praelaturam Sti. Josephi de To-



cantins et Insulae Bananalis complectentium 300 quilometrum milium et 106.000 incolarum; Missionem Sti. Thomae (de Sao Temé) et Principis, in possessionibus Lusitanis Guineensibus; Sti. Tomae apud Indos Californiae, et recentissimam Hweichowfu, apud Sinas quae futura est Vicariatus, a celebri Wuhu divisus.

## II Claretianorum numerus in Missionibus

Missionarii Claretiani, agricolae sunt qui hujusmodi missionales agros coluere. Horum operariorum numerum adducere volumus, at opus avangelicum judicare et aestimare quis valeat? Viri Missionarii 316 sacris vestigiis signarunt Vicariatum Fernando Poo, circiter 80 Chocó, 15 Tocantins, 20 Darién, 4 Stum. Thomam et Principem, 8 Stum. Thomam (in California), 7 denique Hweichowfu. Summa; 450 Missionarii! Missionarii 450 in quibus profundius operatur Hispanae gentis studium et animus Claretiani Apostoli qui hanc in vexillo gestat inscriptionem: totius mundi animarum salutem quaerere! Missionarii 450 qui maximis difficultatibus, magno habuerunt in honore sese offerre supremo sacrificio, et omnia perpassi, ingens opus civilitatis et christianismi perfecerunt. Ecce hujus rei evidens signum: ex 450 Missionariis, 130 occubuerunt, et circiter 150 mortali morbo correpti, desideratissimas missiones relinquere sunt coacti.

## III Missionariorum exantlati labores

Tabula mundi nobis ostendit ex his missionalibus agris quatuor qui in zona patent aequatoriali: Fernando Poo, Darién, Chocó et Stus. Thomas, Princeps malefico tropicorum influxu laborant. Natura incolis commercii terrestres rationes non praestant, inde est quod ad profunda flumina confugiant, quae stabilem securitatem negant, et vitam degant erraticam; uberrima vegetatio elementa ad vitam necessaria eis praebet, ob idque et laborem renuunt quod Regionis tempestas eos subijciat. Tabulam e natura expressam haec ostendunt testimonia: «caelum in Chocoana regione temperie media fruitur a 37 ad 28 gradus cent., valde humidum est, siquidem pluviae singulis mensibus ad 60 cent. ascendit. Admodum difficilis est et periculorum plenus ad plures populos et fluvios accessus, namque sciendum est unas ibi invenire vias, nempe flumina et unus locomotionis modus, sc. lintres imperfecti quibus nihil incommodius excogitari potest. In universa Praefectura Chocoana nulla hodie invenitur via. Rusticorum oppositio, ne parva constituentur oppida, laborem Missionarii valde difficilem reddit.

Missiones Guineenses a propriis guberniis nunc temporis civilitate satis conspicua decoratae sunt, verum psychologica incom-

moda permanent, exteris elementis adaucta. Urget ergo culturae opus quod, praeterquam naturam istam dominatricem evincat, indolem tandem, sensus, affectus mutet.

Lectorem enim minime latet ethnologicus hujus naturae externae effectus: populorum independentia, linguarum differentia, generis praejudicia, cet. Super hanc culturam Christianae religionis formam stabiliri obtinebitur.

Hic est scopus a Missionariis propositus in istis missionibus agris; et pari ratione in Missionibus Sti. Thomae et Tocantins. An scopum attigerint videamus. De Missionibus tantum Guineensibus proprie dicere licebit, at nostrum de illis iudicium conditionale erit, nondum enim perfectum est opus.

Culturae labor in quinque dispescitur partes; 1.º Hispanam reddere coloniam, quae adventu Missionariorum potius Anglica erat colonia idiomate, moribus, religione; quod nimiam secum adfert patrii amoris exhibitionem, qui amor aliis missionibus in commodum vertit propriarum nationum, qui amor etiam primus est aditus ad missionalem aptationem seu accomodationem.

2.º Integrorum populorum fundatio (proprio nominis sensu) et praecipuorum, dempto capite; quod et in reliquis missionibus accidit.

3.º Litteris, artibus, et muneribus complures juvenes imbuere. Alumni, qui institutionem in missionibus acceperunt, numerum 50,000 superant, distributi in septem collegia internorum, 12 externorum, et circiter 70 scholas in totidem reductionibus addito magnifico artium et officiorum instituto.

4.º Conscriptio et editio dictionariorum et grammaticarum idiomatum indigenarum (9 in Vicariatu), ad ea idiomata definienda, atque studia ethnologica a peritis laudata.

5.º Cultura et ad fidem conversio 30,000 indigenarum, qui se Hispaniae esse subditos et Ecclesiae gloriantur.

#### IV Laetissimi fructus percepti

Hujusmodi culturae opus, ut opus formationis ad mores christianos est habendum, tum quia extra religionem christianam non datur, tum quia nostri Missionarii adeo arto ea conjungere vinculo, ut omnes humanae gentes christianae religioni sint addictae; laborum fructus sunt 30000 Christifideles nomine et re. fidei firmitate gaudentes. Ad hanc obtinendam firmitatem Missionarii 80 ecclesias et aedulas exstruxerunt, scholas supra memoratas condiderunt et fovunt., potissimam de reductionibus deque earum visitatione curam habent, quibus praesunt continenter periti doctrinae christi-

nae institutores. Omnes apostolatus rationes adhibuerunt, ita ut dicere possint nihil sibi deesse de rebus necessariis et commodis ad veras paroecias constituendas: praedicationem scilicet assiduam, pias adsociationes, opera socialia, prelum, cet.

Certum vitae catholicae pignus est sacramentorum frequentia: Sacrae Communiones ad 250.000 accedunt; eloquentissimum vero ardoris religiosi testimonium hodiernis diebus est demonstratum, incalcescente Missionariorum persecutione, dum neophitorum christiani sensus, ipsos turbavit adversarios.

Missionarii Claretiani nihil aliud faciunt quam quod ab Hispanis Missionariis aurei apostolatus temporis effectum est: campum inter se dividunt. Alii curam sibi adsumunt animarum jam in fide firmatarum; alii doctrinarii novos ad fidem conversos erudiunt, et totis viribus in infidelium conversionem incumbunt.

Hic labor recte ordinatus citius optatos afferet fructus. Missio naturam induit perfunctoriam cujus finis est indigenarum Ecclesia. Cleri indigenae institutio primum et praecipuum in animo missionariorum locum obtinet, et scopus est attingendus: ita in nostris missionibus. At facta responderuntne optatis? Aliquae oblatae sunt vocationes sacerdotales alumnorum qui vel in propriis seminariis (Basile-Fernando Poo) vel in proximis (Cartagena-Chocó; Compton Darién) sunt collocati. Veruntamen in memoriam revoca harum gentium psychologiam et cautam missionariorum prodentiam perspicies. Quod ad seminarii alumnos attinet, quo plus animo considero, eo minus aptum videtur arvom ut in his regionibus vocatio germinet sacerdotalis, si enim quidam christianorum officia adimplent, spiritus tamen pietatis et radicata fides hic fere penitus ignorantur. Quod magnum praestat influxum ut invalescat spiritus iste antichristianus qui auxilia spiritualia a nigris accipere dedignatur. (Rmus. P. Praefectus Chocó-Informe oficial, p. III). Optima autem spes ad primam potius missionem Claretianam refertur, eaque spes vocationibus sacerdotalibus alitur illius regionis, et firmitate qua gaudet christiana religio apud indigenas. Cito veniet ille dies cum florens erigatur dioecesis insulas Guineenses complectens, Continentes Africani partibus ad missiones remanentibus.

# ANTONIO MARIAE CLARET

## DE FUNDANDA CONGREGATIONE

### Caelestis Adflatus

Alfonsus J. Repiso, C. M. F.

*Agmina nunc hymnis exultant casta sonoris  
Et celsi Regina sibi gratatur Olympi.  
Dum pulchrae resonant prolis tot pectora cara,  
Carmine sit grato mihi fas reboare, Camenae.  
Conscindit caeli albis nuntius aëra pennis  
Hesperiam ignotam trepido petit ille volatu  
Pontificamque supra Vicensem constitit urbem.  
Lucem respergens lotos per corporis artus,  
Pervadit placida specie penetralia Claret  
Cujus fama volat per regna atque occupat urbes:  
«Macte, absiste moveri; aulae caelestis alumnus  
«Sum qui grata fero ab Regina missus Olympi.  
«Mater amans, maestro singultu adfecta benigne  
«Votis annuit. Illabetur ab aethere summo,  
«Antoni fortunate, exemplum Ipsa datura  
«Quo bellatorum sacram instituas legionem  
«Sternat ut adversas Orci fortesque cohortes  
«Auferat et Satanae diro urbes, regna tenentis.  
– Dixit: et in caelum paribus se sustulit alis.  
Vir pius est aulae divinae captus amore.  
Muta quies habitat, dum fessa dat ossa sopori  
Cum subito cellae fulgorem habet angulus omnis.  
Mille lyrae resonant, cytharae centumque canorae.  
In somnis illi se casta Deipara Virgo  
Offert, festiva aligerum stipante corona;  
Candida Eam vestis tenui circumdat amictu,  
Scaeptra tenet dextra, rosea cervice refulget  
Ambrosiaeque comae flant divum vertice odorem;  
Suaviter adridens dulci sic voce locuta:  
«Antoni mi, homines ita caros ardeo natos  
«Quae cor, summa meum illis tanquam pignora dedo.  
«Servandis animis agmen producito sanctum,  
«Tu quoque maximus esto Ductor. Molle meum Cor  
«Vexillum sit pugnae, spectataeque salutis  
«Pignus. Fide mihi, vires animique vigeant  
«Illius visu; bello superabis avernum  
«Imperiumque adimes hominum scaeptrumque tyranno;  
«Relligio terris cunctis dominabitur alta,  
«Fraterno populi jungentur foedere amoris.  
«Ne titubes, oro, longos perferre labores*

*«Me duce, nec diris caput objectare periclis;  
 «Dulcibus usque meo membris sum pectore tutrix,  
 «Cumque tuo vitales aurae morte negentur,  
 «Caeli umeris te amplectens ducam ad prata beata.  
 «Maxima jam tibi saecla vident capienda tropaea.  
 Mater dixit: datque comam diffundere ventis,  
 Filius attonitus visis dictisque benignae  
 Virginis ex oculis somnoque et nocte fugatis,  
 Corripit ex strato corpus, supplexque supinas  
 Ad caelum palmas mihi sermone tetendit:  
 «Ecquis condignas poterit tibi reddere grates  
 «Munere pro tanto? Unde mihi tam mira parantur  
 «Dona? O sic placeam, Princeps hominum, optima Mater.  
 «Sic ego sim et socii; liceat protendere cultum,  
 «Semper honos nomenque tuum laudesque canantur.*

## Beatus Claret Populi Doctor

Johannes Postius, C. M. F.

### I Triumviratus catechisticus apud Hispanos

Catecheticae instaurationis praesentem aetatem fructum arbitramur trium amicorum virum quorum unus Magistralis, alter Missionarius, tertius Cathedraticus: Dominus Jacobus García Mazo, Beatus Antonius Maria Claret et Clará, Dominus Andreas Manjón et Manjón. Excelsus quidem Hispanicae catechesis triumviratus aliis civitatibus invidendus; nobis tamen Hispanis ea aemulatione consecrandus, quam saeculo decimo quarto excitavit in animo Dni. Dupanloup, aliorum magnorum catechistarum Gallicus ille triumviratus catechisticus Fraissinous—Quelen—Boudorries, qui parentes videntur recentis Catechesis et ejus quae Venerabilem Olier respiciebat Seminarii Sti. Sulpicii Conditorem.

### II Beatus Claret Egregius Catechista

In omnibus catechistarum pergulis conspiciendus erit et quidem editiore loco imago Sti. Archiepiscopi Antonii Mariae Claret eximii catechistae et catechistarum magistri, Sororum doctrinae Christianae instaurationis, Congregationis Catechisticae fundatoris Missionariorum nempe Filiorum Ite. Cordis Mariae, et unitatis Catechismi apud Hispanos et Americanos indefessi propagatoris.

Figuram excelsam Beati Claret haud primi nos delineamus. Omnes qui vitam ejus describere contenderunt operam extulerunt catechisticam; tum qui ad eundem obitum in oppido Fonte Frigido notas biographicas pervulgarunt a Vincentio de la Fuente et Francisco ab Asisio Aguilar ad Jacobum Clotet, Marianum Aguilar, Hyacinthum Blanch Missionarios, et auctores omnes, qui indolem ejus plus minus

extense in vulgus prodiderunt. De Beati Claret catechesi speciatim egerunt Coetus Catecheticus Vallisoletanus, Granatensis, Caesaraugustanus; Hebdomadae Catecheticae Dioecesanæ Bilbilitana et Vicensis, aliique Conventus postremis annis habiti, quibus quidquam contulerunt filii magni Hispanorum Missionarii.

### III Methodus Catechismi Claretiani

In praecedentibus tamen monographiis non hausimus argumentum, summa enim rerum editarum hujus ephemeridis paginas compleret.

Fratres autem sacerdotes hortamur venerantes ut sibi quamdam ex illis monographiis comparent, maxime vero *Catecismo explicado* Beati Patris, et *Conferencia sobre la Iglesia y la Catequesis* ubi insigniores tractus systematis Claretiani videbunt, quod non erat nisi prosecutio et perfectio classici systematis Catechetici Hispani; quia in Hispania non est accepta methodus historica sed dogmatica potius, et tandem ex utraque mixta cum legali systemate praeteriti saeculi summe congruens.

Beatus Claret semper est complexus in suis catechesibus vel scriptis vel ore prolatis institutionem, educationem, pietatem, experens operam simultaneam omnium facultatum animicarum, intellectualium, affectivarum et vel sensitivarum accomodans expositionem rerum, moralitatem, pietatem exigentiis et nativae evolutioni humanarum facultatum; ita ut uno calami ductu vere ingenioso in familia, in schola, in templo integritatem reperit institutionis religiosae et evolutionis humanarum facultatum. Catechisticae notiones comitantur historiae sacrae notiones; Cursus Religionis et Moralis, Catechismus explicatum; Tractatus de apologetica populari, Catechismus Perseverantiae. Ad quattuor gradus Catechesis proprie dictae eos tantum textus designavit qui die memoria non exciderunt, necessarios reputans ad elementariam institutionem christianam Catechismus Minorem, Catechismus Explicatum, Compensatam Religionis et Ecclesiae Historiam.

Beatus Claret physionomica reddit delineamenta similia fundatori Seminarii Sti. Sulpicii quem antea perstrinxi. Beatus Claret sicut P. Olier curavit ut seminarii alumnis committeretur Catechismus generalis; fovit, sicut ejus amicus Novoa, Catechismus hebdomadalem et mensilem; pretiosas imagines invenit catechisticas et magnam vim scripsit opusculorum quae merito catechismos mysticos appellaveris. Ipsa Sulpiciana methodus in exponenda doctrina christiana congruit cum methodo Claretiana in *Colegial instruido* (cap. ultimo) et per eum in fere omnibus Seminariis Hispaniae ab anno 1861 est accepta. Siquidem aureus liber *Colegial instruido* in manibus versatus est et versaturus omnium Clericorum, methodum non describam Beati Claret, quae nititur in Litteris Encyclicis Benedicti XIV inque aliis documentis quae Pii Papae X praecesserunt documenta et alia Codicis Canonici praecepta. Stimulus catechisticus magni Missionarii Hispani, sicut ipse in Autobiographia profitetur, fuerunt exempla Jesu Christi atque clarorum Sanctorum et Catechistarum quorum ibi meminit.



#### IV Claretianae Institutiones Catechisticae

Cum insufficientem arbitraretur operam personalem, voluit catechistas factos omnes qui Religionem amant. Jam anno 1835 constituere amavit in omnibus Paroeciis Clericorum Congregationem et Dominarum Catechistarum sub Cordis Mariae invocatione. Anno 1843 Fraternitatem instituit, adprobante Casadevall Episcopo Vicensi, doctrinae christianae sacerdotibus seminaristis et saecularibus utriusque sexus qui fabricas ingrediebantur et officinas, et sibi partiebantur civitatis vias et libero caelo catecheses habebant quae communiter in ecclesia Capucchinorum claudabantur, ubi pueri magis instucti, sicut Beatus Claret fecerat in pueritia, catechesim recitabant, vel duo sacerdotes et seminaristae sibi proponebant et explicabant difficultates quae occurrunt populo. Idem ubique curavit et praesertim in Cuba ubi die 9 mensis Julii anno 1851 Fraternitatem creavit Instructionis Christianae, et Matriri ubi ei, quae jam aderat, copulata est in qua et magno exitu conlaboravit. Institutiones vere catechisticae Beati P. Claret sartae tectaeque devenerunt in fundatione Missionariorum et Religiosarum Institutionis. Libri ejus catechistici in collationibus, praedicationibus simplicibus, doctrinalibus, et missionalibus et in omnibus incoeptis; in operositate quam explicuit ut ad uniformitatem catechismorum veniret primo inter Episcopos Hispanos et postea in Concilio Oecumenico Vaticano; quod si incoeptum novae res anno 1868 infecerunt sicut exilium Beato Archiepiscopo inflictum et consuetudinaria agendi ratio multorum hominum et Concilii Vaticani suspensio, ea vere sufficiunt ad frontem Beati Claret redimiendum ut Doctoris populi vel Doctoris parvulorum ut aliqui eum vocaverunt et nos subinde in laudatis operibus etiam vocavimus.

#### V Beatus Claret Lauro Catechistica Donatur

Quas adeo summarias finio indicationes, lectores referens ad commentarium adeo sapienter scriptum *Razón y Fe* annis 1905-1906 ubi Rdus. P. Johannes María Solá historiam narrat Schematis Parvi Catechismi in Concilio Vaticano ubi praeter alias ad Praesules Hispanos adlusiones honorificas haec scripta reliquit: Catechistarum Hispanorum laurus jure merito respondet aetate nostra (saeculo XIX) duobus viris quorum memoria nunquam peribit: Mazo et Claret. Participat gloriose cum Mazo nostrae Catechisticae imperium in priore saeculo Venerabilis Archiepiscopus et Fundator Antonius Claret. Duas exhibet novas res *Compendio de la doctrina cristiana explicado y adaptado a los niños*: propensionem scilicet ad unitatem et systema intuitivum per imagines et conlustrationes. Editiones prodigialiter multiplicabantur neque ponderandum quanto fuerint bono. Quamquam uniformitatem perquisitam non obtinuit nomen ejus scribendum est in historia Catechistica Universali. Intuitivam methodum fulcit Archiepiscopus Trajanopolitanus in documentis Concilii Tridentini quod vicissim innititur Nicomediensi. Et tamen sunt paedagogi qui illam ut rem novam nobis exhibere volunt.

Principem igitur Catechistarum Hispanorum Beatum Antonium Claret jure salutare delectat et populi eximium Doctorem.

# Beatus Claret Insignis Paedagogus

J. Serra Fitó, C. M. F.

Fieri nequit ut juvenus attentionem Apostolorum Christi ad se non trahat; ipse enim nobis praebeuit exemplum: pueros ad se trahebat, mulcebat, eosque velut innocentiae speculum majoribus natu proponebat. Impossibile est igitur sacerdotem oculos ad juventutem non convertere sicut ad florem opimos fructus olim adlaturum. Beatus P. Claret animarum studio repletus, Jesu Christi verus Apostolus, non poterat in juventutem non incumbere, quia igni caritatis urebatur: *caritas Christi urget nos*. Fuit profecto educator insignis.

## I.—Institutor puerorum

Monumentum quod Sallentini cives egregio erexerunt viro in platea ejus nomine nuncupata, ostendit eum cum puero; contemplantes haec videntur audire: *Verite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos*. Catechismus, completissimum educationis et culturae opusculum manuale, omnem attentionem viresque sacerdotis Sallentini conciliavit. Difficultates quas in ministerii exercitio expertus est quaeque methodicae catechismi institutioni obversabantur, eum adduxerunt ut conscriberet catechismum manualet, ex aliis omnibus elaboratum, primo ad episcopatum Vicensem, diende ad Hispaniam, postremo ad universum mundum. Praesantissima in nostro *Arxiu Pairal* exstant documenta, quorum lectione supernaturalis patefit scopus sancti sacerdotis, missionarii, archiepiscopi, adeo ut eum in Concilio Vaticano catechismi unitatem enixe postulantes videamus.

In sacri ministerii praxi jam ab initio edoctus est puerorum attendendi necessitatem; ideo opusculum scripsit cui titulus *Avisos a los niños*, et aliud

*Avisos a las doncellas*, ambo profuse dispersita, in quorum pagellis cognitio puerilis animi effulget. Alium quoque librum pueris dicavit inscriptum *Ejercicios Espirituales* ad pueros primae Communionis; cujus pagellas perlegat studiosus lector, et quod dicimus intellegat. Concupiscentiae febris juventutem invadit: libellus *Bálsamo Eficaz* qui supernaturale remedium ad impuritatis vitium applicat, sollicitudinem vere paternam ad mala cordis eradicanda demonstrat. Universa denique B. Patris bibliographia, quid aliud est quam librorum ad populum erudiendum et instituendum collectio? Jure igitur eximii paedagogi nomine valet appellari.

## II.—Institutor institutorum

Educatio dici potest scientia salutis; unde illi notissimi versus:

*Es la ciencia consumada  
el que el hombre en gracia acabe,  
porque al fin de la jornada  
sólo el que se salva sabe:  
el que no, no sabe nada.*

Quo tandem Bti. Claret conatus tenderunt, dum vita manebat, nisi, ad cognoscendum et diligendum Deum, et ut alii eum in toto mundo cognoscerent et diligerent? In hoc salus, in hoc institutio consistit. Plus igitur dicam: fuit institutor egregius quia institutores edocuit, omnibus excellentiis ad hoc praesantissimum ministerium ornatus. Educator et vocatione et consecratione est sacerdos; et B. Claret sacerdotum institutorem fuisse, nemo est qui ignoret. Ne longius protrahantur hae notulae, transcriptionem omittam scriptorum quae in *Arxiu Pairal* adservantur de seminariis alumnorum institutione Unum innuam



librum *El Colegio Instruido*, qui in optimis seminariis non deest, quem viri rei periti primum in eo genere existimant, aequandum merito fortasse, sed non superandum.

Pietatis institutio in seminariis, juxta B. Claret, ad sex reducitur actus: *Exercitium matutinum, Missam et Orationem mentalem, Lectionem spiritualem, Visitationem Sanctissimi Sacramenti, Sanctum Rosarium, Confessionem*. Omnibus aliis praetermissis, agamus

### III.—De Confessione (1)

«Primo opus est scopulum devitare in quo naufragium passi sunt plures seminariorum alumni; qui in eo stat quod nonnulli recto fine permoti, sed pernicioso exitu, in uno seminario plurimos scholasticos, omnes etiam dioecesis, adunare curaverunt, at illis non datur confessoriorum copia, quae satis sit ad eos bene regendos; unde fit ut ad sacram communionem accessuri, occurrentem confessoriam adeant a quo minime cognoscantur, neque ad suum sanctissimum finem dirigi possint; eorum confessiones potius militum quam clericorum propriae videntur. Non idem est lectionem in cathedris explicare quam unuscuoque conscientiam dirigere».

Haec Bti. Patris notula satis ostendit 1.º confessorium penitus agnoscere debere spiritum alumni; 2.º scholasticorum confessiones non proprie sed attente perficiendas, ut sacramenti dignitas postulat. Btus. Pater maxime oxoptat ut vitentur incommoda et abusus; electio confessoriorum qui scholasticos noverint, diligant, eosque inter juventutis scopulos regere studeant, optimum abs

dubio remedium erit ne alumni, ductrici manu carentes, vocationem et studia deserant.

### IV.—Moderator Spiritualis

In praedicti operis pagina 76 haec habet B. Claret: «Necesse est ut pueri moderatorem habeant spirituales», lectorem vero remittit ad *Colegial Instruido* (p. 306) ubi ait: «non sufficit confessorius cui aperte peccata manifestentur; opus quoque est magistro qui nobis virtutis viam aperiat; duce qui nos praecedat et in regiones ignotas introducat, provido egemus naviculario qui scopulos maris manifestet, ubi tot homines naufragium passi sunt. Praeterea frequentia nobis proelia sunt committenda; spirituales defectus paene sunt innumeri, saepius ignoti, semper tamen periculosi. Ubique ad nos opprimendos paratae sunt insidiae; obliquae inventuntur viae, in quibus error perniciosior est et facilius, quod securae videantur, at postrema earum ducant ad mortem et perditionem: ecce totidem rationes ut expertum magistrum et medicum, fidum et sapientem ducem, et studiosum rectorem illum habeamus. Hinc oritur antiquorum Patrum effatum ut primum vitae spiritualis principium sancitum: «Qui in Dei servitium incumbunt, magnopere curent de aperienda moderatori conscientia».

Supersunt, lector, commentaria huic tam prudenti sollertique B. Claret iudicio. Tacemus igitur, Deum laudemus, magistrum manum deosculemur, et navarcho, eximio paedagogo dicamus: *Duc in altum*. Ipse pro nobis intercedat in caelis, qui fuit in terris et nunc est dux noster, dum in hoc mundo peregrinamur.

(1) Seminarios clericales, pag. 45.

# Alacer Christi Miles

In Ven. Patrem Antonium M. Claret

Ludovicus Marcos, C. M. F.

*Nuper Antoni superis honore  
Additi divum celebrare gesta  
Mira dum vixit lubet et Parenti  
Nectere carmen.*

*Splendor, Antoni, columenque nostrum,  
Arce qui summa resides Olympi,  
Congeras praebe suboles paterno  
More triumphos.*

*Lumine aspexit placido jacentem  
Cunulis Virgo puerum Maria;  
Angeli gaudent alacri futuro  
Militae Christi.*

*Tartari poenas meditatur infans,  
Horret infernas foveas Averni:  
Flammulis coepit tenerumque sacris  
Pectus aduri.*

*Paulus affari valet alter ipse:  
«Caritas Jesu stimulis adurget.  
Me tenet cunctas animas cupido  
Reddere Christo».*

*Excidit numquam sacer ignis ore,  
Corde nec factu, viguitque donec  
Frigidi Fontis maduere sanctae  
Rore favillae.*

*Percitus divo populos furore  
Impiger lustrans, animas reduxit  
Plurimas caelis avida Barathri  
Fauce revulsas.*

*Ejus arrecta bibit aure vulgus  
Verba caelesti velut ore missa;  
Jamque divinis redeunt secunda  
Tempora rebus.*

*Multa pro Christo patiens subivit;  
Laeditur ferro minitante letum;  
Inclitum nomen laceravit atro  
Dente caetera.*

*Dona virtuti Superi rependent;  
Virgo largitur famuloque dona;  
Ipse mirandum tulit atque Jesus  
Pignus amoris.*

*Namque ter trinos habitare in annos  
Sub Sacramenti latitans amictu  
Pectus illius requie perenni  
Jesus amavit.*

*Mira patravit homini negata;  
Angeli sese faciles eunti  
Inferunt visu; monet et superna  
Luce futura.*

*Sospes evadit minitans periculum,  
Sive cum daemon movet atra bella,  
Seu maris fundo periturus imo  
Virgine dextra.*

*Lapsa de regnis Superum Maria  
Bajulans dulcem Genitum lacertis  
Fervidi Antoni sacra cum litdrat  
Obtulit ulnis.*

*Plurima extentum suboles per orbem  
Patris incessus sequitur reposti,  
Gesta quae Antoni veneranda tradet  
Tempus in omne.*

*Laudibus gentes celebrent Satorem  
Universorum Genitumque Verbum,  
Spiritus laudent pariter superna  
Dona fluentem.*

*Villae Rosarii in Argentina.*

# B. P. Claret Linguae Latinae in Hispania Propulsor

Emmanuel Esqué Montseny, C. M. F.

## I Beatus Claret de usu classicorum consulitur

Lectoribus nostris notum profecto est eximius apologista Gallus Johannes J. Gaume, qui superiore saeculo classicismi ethnici inimicus est habitus. Id tamen a veritate prorsus abhorret. Scriptoris Gallici mens non erat litterarum classicarum opera in aureis saeculis edita penitus rejicere, sed christianas reddere litteras quibus juvenus illius saeculi esset erudienda.

In summa rei contentione, Gaume insigniores Europae et Americae Praelatos consuluit, ejusque consilium renovandarum litterarum exposuit. Ecce responsum B. P. Claret, Archiepiscopi tunc temporis Sti. Jacobi in Cuba: «Tuae in litteris lucubrationes, competentiam tuam in judicanda disciplinarum renovatione satis ostendunt. Me scito magno teneri desiderio instaurandae educationis, litterarum, scientiarum, rei politicae et omnium hujusmodi». <sup>(1)</sup> An ideo Btum. Antonium adversarium dicemus classicarum litterarum? Nullo modo. Non semel alumnis Escorialensibus studium et cognitionem auctorum classicorum commendavit: «Studeant quoque, ait, auctoribus profanis; auctores seligendo et fragmenta, quae nihil offensionis contineant, et ad discendam proprie et eleganter linguam Latinam inserviant.» <sup>(2)</sup> Neminem latebit fragmenti modo transcripti praestantia.

Beatus P. Claret litterarum classicarum nullatenus fuit inimicus, tantummodo quem locum habere debeant in ecclesiastica educatione ostendit. Quinimmo haud facile invenietur quispiam in ejus saeculo paedagogus qui ad classicam juventutis eruditionem potius adlaboraverit. Ad Vergilii et Ciceronis sermonem quod attinet, sequentia legentibus nostra patebit adsertio.

## II Studium Latinitatis in collegiis ecclesiasticis

a) *Mens ejus in Ratione Studiorum Seminarii Escorialensis.* «Latina lingua appellatur mortua, sed apud ecclesiasticos viva est habenda atque judicanda, ita ut consuetudo eo inducatur latine loquendi, maxime in aulis, in deambulationibus, examinibus, academiis, graduationibus et concursibus, ut praescribitur in Ratione Studiorum.» <sup>(3)</sup>

(1) Epistolario del B. P. Claret. 14. Mayo 1852. — (2) Miscelánea interesante. - Lengua latina p. 147 et seq. — (3) Idem pag. 148.

Beatus P. Claret resurrectionis linguae Latinae propulsor fuit et inceptor in collegiis ecclesiasticis. Illorum temporum memoriam repetens, quibus aliqua e nostris Universitatibus proprio utebantur Ciceronis sermone, idem facere conatus est in collegiis ecclesiasticis; quod in eximio Collegio-Seminario Escorialensi est adeptus.<sup>(1)</sup>

b) *Ejus praestantia ad clericos. In humaniorum litterarum studio, cui clerici primis curriculi annis vacare debent, studium linguae Latinae omnibus ut fundamentum praest, juxta Rationem Studiorum B. P. Claret quae viguit in Seminario Escorialensi, cujus ipse multis annis eximius fuerat Rector. Ecce ejusdem Beati verba: «Apud alumnos ecclesiasticos lingua Latina viva est habenda atque iudicanda.»<sup>(2)</sup> Quo optato, in Ratione Studiorum consignato, ut vidimus, pueri his litteris solide sunt instruendi. «Nunquam prorsus, ait, patietur aut permittet magister alumnos parvo esse contentos.»<sup>(3)</sup> Cupit ut studia Latinitatis non prope sed recte peragantur, et hujusmodi commendationibus integrum libri caput scribit.»<sup>(4)</sup> Puero ad sacerdotium destinato primum et praecipuum est studium linguae Latinae. Magna calamitas est atque infortunium, quod scholasticus incoepa philosophia in seminario, non plus quam mediocriter calleat linguam Latinam.»<sup>(5)</sup> Cum igitur alumnus seminarium adeat ad incipiendam philosophiam, studiose et diligenter examinetur; quod si sermonem Latinum non calleat, ad philosophiam ne admittatur; sed ad grammaticam perficiendam remittatur.»<sup>(6)</sup>*

c) *Tempus adolescentibus clericis in studio Latinitatis impediendum.* Paedagogiae Claretianae mens et fundamentum est institutio per gradus tradita. Ejus Ratio Studiorum, ad humaniora studia et praecipue ad Latinitatem quod attinet, exemplum est quo confirmamur. Tempus per quod alumni seminarii Escorialensis studio linguae Ciceronianae vacare deberent, ita erat divisum et distributum, ut alumni non possent non devenire linguae Latinae bene periti. Ratio Studiorum dat pueros, illud ineuntes seminarium, jam prima Latinitatis rudimenta cognoscere: «Ubi primum parentes opportunum duxerint filium peragere curriculum ecclesiasticum, studia sunt incipienda. Si puer rudimenta institutionis primariae jam noverit, Latinitatem incipiat.»<sup>(7)</sup> Postquam hujus studii praestantiam pulcris commendavit paragraphis, addit: «Perspecta necessitate et utilitate linguae Latinae, ad eam addiscendam, Ratio Studiorum quattuor annos statuit, cum Rhetorica, quae est velut grammaticae et linguae Latinae perfectio, quinimo jam primo anno cognita putat ab alumno rudimenta.»<sup>(8)</sup> Per annos Rhetoricae, ait idem Beatus Claret, alumni exercitio linguae Latinae, scriptioni, lectioni classicorum incumbunt.

Neque oblivioni mandatur Latinitatis studium, incoeptis superioribus curricula Philosophiae et Theologiae. Ad harum disciplinarum studium non admittebatur

(1) Ut in Ex-Universitate Cervariensi, cujus gloriosas traditiones suscepit PALAESTRA LATINA. Eminentiores nostrae Ex-Universitatis viri in hoc commentario apparuerunt, sub titulo: «Academiae Cervariensis Viri Litterati», alique plures apparebunt, quorum splendor, patris decoris amantibus valde placebit. Universitas Cervariensis translata est Barcinonem anno 1842. — (2) Miscelánea interesante. Lengua latina, p. 147 et seq. — (3) La vocación de los niños, part. III, cap. 6. — (4) Idem. — (5) Idem, cap. 5. — (6) Idem, cap. 6. — (7) Idem, cap. 7. — (8) Miscelánea interesante. - Lengua latina, pag. 147 et seq.

alumnus qui perfectam et solidam Latinis sermonis cognitionem non haberet, sed ad repetendum integrum annum humanitatum cogebatur. In his annis studiorum superiorum optabat egregius Rector ut alumni linguam Latinam vivam existimarent; atque in Ratione Studiorum erat statutum ut in omnibus actibus interni regiminis Seminarii Escorialensis Latinus adhiberetur sermo, «maxime in aulis, in deambulationibus, exaninibus, academiis, graduationibus et concursibus». Beatus igitur Claret ab alumnis exigit studium Latinitatis profundum et solidum prioribus curricula annis, studium vero practicum postremo institutionis ecclesiasticae tempore.

### III Studium Latinitatis in Collegiis Institutionis Nationalis

Latinitatis praestantia iis omnibus qui in sapientium numero haberi aut virorum inlustrum nomine honorari volunt nulli in dubium vocatur. Hispanae linguae decus et splendor ab iis profecto pendet qui studiosa praeparatione classica scribere incipiunt.

Conscius Beatus Claret de innumeris commodis linguae Latinae, ejusque absoluta necessitate nullam habuit requiem donec constitutam vidit in Hispania novam secundae Institutionis Rationem in qua linguae Latinae studium meritum et praecipuum locum occuparet.

Historiae documenta mirum in modum personam Beati Claret extollunt, adversus detractores qui eum retrogradum et civilitati infensum blatterant; egregius P. Gavin, C. M. F. alium ejusdem Congregationis Missionarium certiore fecit se a manibus fuisse P. Claret in redactione Rationum primae et secundae Institutionis, Fomenti Administris ab eodem Missionariorum Conditore.

Articuli qui ad nostram rem pertinent sic se habent. Art. I. Secundae Institutionis Studia in duas dividuntur periodos, et singulae tres annos perdurabunt. Art. VIII. Studia primae periodi 2.<sup>ae</sup> Institutionis haec sunt: Grammatica Castellana et Latina, cum exercitiis versionis et analysis, duobus annis perdurantibus. Rhetorica et Poëtica, cum versione simul et analysi atque Latina scriptione, per annum. Art. XII. Tertio anno alterius periodi, una hora per diem perfectioni Latinitatis, et generalibus litterarum principiis dicatur.<sup>(1)</sup> Haec ratio Studiorum Hispaniae constituta est decreto die 3 Oct. 1866 edito et viguit ad 1868 ubi Septembris perturbatio eam subrogavit alia Studiorum Ratione, turbulentissimis adjunctis magis accomoda.

In dubium igitur verti nequit quin Beatus Claret transacto saeculo magnus fuerit propulsor studiorum Latinorum qui Hispaniae juventuti saeculi portam reseravit «quae una ad thesauros antiquitatis praebet aditum»,<sup>(2)</sup> ad profundius scilicet studium pulcherrimae linguae Ciceronis et Virgilio.



(1) Ratio Studiorum secundae Institutionis edita regio decreto, 9. Oct. 1866. Vid. «Paedagogia del V. P. Claret» a Johanne Postius, C. M. F. Appendix. — (2) Idem.

# Beatus Claret Humanitatis et Litterarum Fautor

Jos. M. Mir, C. M. F.

## I Beati Antonii stemma sacrum

*Instaurare omnia in Christo*: En nobilem certe, at arduum scopum ex verbis Apostoli desumptum, quem sibi praefixit venerabilis Pontifex Pius X cum Dei Ecclesiam divino numine regeret. *Instaurare omnia in Christo per christianam totius populi institutionem*: En pariter formulam, quae argumentosam mentis vitaeque actionem et industriam B. Antonii Mariae Claret toto vitae curriculo complectitur, quam pro viribus sectatur adimplendam, continenti recordatione illius quoque excelsi stemmatis Apostoli Gentium: *Caritas Christi urget nos*. Perfecta pariter eaque absoluta undique apostolatus formula, quam in scuto episcopali insculptam voluit. *Instaurare omnia* divini verbi praedicatione, publicis caritatis operibus et institutis; adulescentiam litteris, pietate, officiis erudire; variis societatis generibus opportuna moralitatis et humanitatis praecepta tradere, sicque «formam et venustatem Ecclesiae servatam tutamque protegere ab erroribus et vitiis, quae sunt zizania quam pro tempore fundit inimicus homo ac seminat inter bona tritici grana»<sup>(1)</sup>. Huic igitur instaurationi, et eruditioni omnium societatis ordinum impense incubuit, nova cum veteribus consocians, fidem cum scientiarum disciplinis, religionem cum patria humanitate: finis tamen semper «christiana in veritate eruditio». Quae doctrinarum concordia et hominum conatus certe Ecclesiae Dei et una obiter humanae gentis coetui vigorem virtutemque redderet. En igitur operosae industriae ac diligentiae apostolici viri compendium. Et quoniam totam hanc populi christiani instituendi rationem mentibus praeponere non valemus — non enim is est locus — aliqua saltem praebemus quae ostendant studium curamque qua Beatus contendebat ut adulescentes in humanioribus, ut ajunt, litteris imbuerentur et qua ratione litteras patrias foverit.

(1) Apuntes de un plan para conservar la hermosura de la Iglesia. Madrid.



## II Generaliores de humaniorum litterarum cultu sententiae

Inter alia quae conscripsit opuscula, nitidus ille dialogus eminet qui «*El Ferrocarril*» «i. e. rationes ad felicitatem consequendam et ad incommoda et mala vitanda» <sup>(1)</sup> inscribitur, in quo haec pulchriora mentis cogitata de institutione fundit ex tempore: «Litterae sunt opes; copia artis et cognitionis, beatitudo; eruditio igitur omnino necessaria est» <sup>(2)</sup>; illudque refert clarissimi civitatis Graeciae philosophi «virum cognitione et humanitate excultum decus et ornamentum esse; sed eruditione et bonis moralibus carentem, omnibus animantibus deteriolem, bellua feroci deteriolem; nulla enim bellua in tot tantaque vertit discrimina societatem, quam homo doctrina, urbanitate, moralitate, religione haud instructus et eruditus». Et in hoc ipso opusculo civitatum et nationum primores adhortatur ut totis viribus animisque in instituenda pueritia et adulescentia versentur, ut quos ex hac institutione fructus carpere licet, capiat certe hominum societas. Rationem deinde et ordinem studiorum regni Borussiae reddit, qui totus est in pueris et adulescentibus sana eruditione excolendis, at juxta mentem et principia christianae doctrinae. Notat pariter scholarum distinctionem in *elementares* et *civicas*; institutionem pro omnibus generalem propugnat et specialem pro iis qui scientias artesve excolere velint; et inter eas, Universitates et Seminaria amat, pro quibus sejunctionem vindicat ab illis.

## III Labor Confessarii reginae Elisabeth II

Apostolicus vir haec mentis sensa de puerorum et adulescentium eruditione in libris ubique sparsa, secum semper recogitabat, simul inquirens aptiores rationes, quibus ad destinatam et optatam pertingeret metam. Ac Deus providentissimus humani consortii auctor et moderator, cum patria in extremum declinaret discrimen, hunc eximium populi christiani doctorem «supra civitatem et candelabrum collocavit cum principibus populi Hispaniae» ut omnes virtute et doctrina collustraret.

Ac tempus in se convertens quod catholica gubernia a Raimundo M. Narváez et Aloisio González Bravo moderata, Ministris autem Institutionis E. Orovio et Severo Catilina, Elisabeth II Catholicae Hispaniarum Reginae per laudatos Ministros novam accuratamque studiorum rationem proposuit. Iisque laboribus paulo post haec regia decreta subsequebantur; die 10 sept. et 10 nov. a. 1866 studia Seminariorum Institutis Generalibus cooptabantur et ad civilia curricula valida habebantur; die 9 sept. a. 1866 studia altioris eruditionis

(1) Colección de op., III, 1860 p. 157.—(2) *Ibidem*, p. 231 ss.

instaurabantur; die vero 14 nov. vulgo dictae Latinitatis et Humanitatis Praeceptoriae ad priorem statum redactae sunt, ac denique diebus 2 et 10 junii 1868 publici juris facta est lex Primariae Instructionis et illius ratio.<sup>(1)</sup>

#### IV Prima litterarum rudimenta

Insignis ac veneranda exurgat necesse est Beati Patris excellens persona in mente lectorum, cum haec sensa eum effundentem viderint, haec agentem et elaborantem apud societatis rectores pro vera eruditione novanda atque redigenda; subsequencia tamen hanc eximiam figuram certe amplificabunt atque honestabunt. In opusculo doctrina perfuso qui «*Vocación de los niños*» inscribitur, instituta sacerdotibus praeceptoribus tradit quibus recte pueros in docendo moderentur. Et quoniam grammatica fundamentum et «veluti omnium scientiarum artiumve janua est», ut alibi <sup>(2)</sup> ipse refert, sic hoc loco similia prae se fert: «Grammatica ordinat et moderatur mentis cogitata, modumque cogitatione adsequendi; et huic ordini assueta mens maximum secum fert commodum, ac natus aptusque est ad alias scientiarum artiumve disciplinas arripiendas».<sup>(3)</sup>

Sic postea sapienter cogitateque loquitur de Bossuetio: «Nobilis hic praeceptor tanta animi gravitate grammatices vitia adeo minuta Delphino principi reprehendebat, non ideo tantum, quia ordinem verborum sive in scriptis sive coram prolatorum princeps (Delphinus) permisceret, aperte profitebatur; ultra prospiciebat longiusque intuebatur eruditus isque prudens vir.

Is enim conjiciebat in hac verborum permixtione, una simul rerum permixtionem, in quam, currente aetate, lapsurus esset princeps, ut ipse eximius paedagogus his verbis rescribebat: «Si hanc sinimus cottidiano usu firmari consuetudinem altiusque in dies animo inhaerere, cum imperium moderaveris, verborum non solum ordinem mutabis, sed et rerum. Nunc contra grammatices leges loqueris, et postea contra rationis praecepta ages; nunc haud recte verba adhibes ac postea res ipsas male rediges. Praemium pro poena impertieris et poenam pro praemio, ac, ne plura, omnia inordinate perages, si a puero animum intentum ac diligentem non praebueris ut eos mentis motus vagos et incertos modereris veraque animi gravitate quid agas semper recogites».<sup>(4)</sup> Post has sententias adhortatur ut puerorum eruditor sedulis curis corrigat elucutionis vitia, et in compositionibus aliisque exercitationibus nec unquam *mollis animo et brachio*, seu, ut ajunt, *plus minus agere sinat*. Atque ut nequeat paedagogus

(1) Cf. Postius, *Pedagogía del V. Claret*, p. 24; 49-60. — (2) *Miscelánea interesante*, Barcelona, 1865, p. 145. — (3) *Vocación de los niños*, 1864, p. 106. — (4) *Vocación de los niños*, p. 107, s.

illud Quintiliani iterum repetere: «Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes mentis et corporis frangit»<sup>(1)</sup>, sic statuit: «Sine haesitatione loquimur *leviter seu plus minus* agere, est ignorantia, est mentis inordinata ratio, est animi ignavia, est omnium pessima et miseranda mentis habitudo, ac, ne plura, est totius disciplinae et institutionis abortus». <sup>(2)</sup> Alia ibidem sensa, de adolescentibus tradenda doctrina prolata, in medium deferre nequimus.

## V . Prima litterarum humanitas

In opusculo superius laudato, postquam grammaticam vernaculam obtinuerint, apud proprium parochum vult ut pueri primis instituantur humanitatis litteris, et decimo anno illis ut tradantur sermonis Latini rudimenta et paulo post etiam Graeca; idque enixe praeceptoribus commendat, quamvis tunc temporis parvi apud nos trates haec humanitatis studia haberentur. Superiora deinde studia humanitatis in Seminario peragent.

*Altius humanitatis studium.* Quid speciatim de Latinis litteris P. Claret senserit alibi in nostro Commentario dilucide ostenditur. Graecum sermonem, donec plures ad illum docendum se traderent et colendum, e programmatibus scholarum suppressere maluit. At aliter pro Seminariis statuit, et pro Collegio altioris humanitatis in Escuriacio: «Nam hic, ait ipse, est scientiarum sermo; hae litterae in Graecia longo temporis tractu maximo viguerunt splendore, et illius civitatis doctissimi viri in Italiam et in totam deinde Europam omnes scientiarum disciplinas longe lateque propagarunt.»<sup>(3)</sup>

## VI Linguarum studium

In sequentibus philosophiae et theologiae annis, saltem in Seminario Escuriacio, ab ipso Bto. P. Claret instaurato, alumni proprio uniuscujusque genio indulgentes et voluntati, hodiernis excultisque Europae linguis vacabant; linguae autem tradebantur: Gallica, Germanica, Italica et Anglica. Ipseque venerabilis, novusque Seminarii quasi conditor, alumnis justum erat exemplar, nam, ut ipse profiteatur, tribus annis quibus jam Matrity versabatur, saepissime in sacra Confessione plures, Gallica, Anglica, Italica, Germanica utentes lingua, audisse;<sup>(4)</sup> ex iis Gallicam et Italicam optime callebat. Adeo etiam Seminarii alumni linguam Hebraicam excolebant ut in publicis linguarum Academiis, mirabili quidem perfectione eo sermone utentes, maxima animi voluptate audierit. Nonnulli etiam Arabicae indulgebant linguae eamque usurpantibus fas erat plura (1920) ibidem Escuriacii manuscripta recondita volvere et interpretari.

(1) Quint Inst Or. I, 2, 6 (2)–Vocación de los niños, p. 112. (3)–Cf. Miscelánea interesante, p. 172.

(4)–El Colegio Instruido, Madrid, 1924, p. 171.

## VII Claretianus labor in Escuriacio

Hanc itaque tradendi et discendi rationem perficiendam atque elaborandam curavit in laudato Escuriacio cum ab Elisabeth II anno 1859 die 5 m. augusti illius praeses renunciatus est. Juxta mentem Philippi II Regis, hujus excelsi operis conditoris, necesse erat ut hic locus, Hispanorum decus et ornamentum, Seminarium esset virorum in omni doctrina eruditorum nec sanctitate minore collustrantium. Eximio nostro Fundatore duce et auctore, *octavum mundi miraculum*, quod jamjam diruebatur, in pristinum statum redactum est; et in eo capellanorum Collegium institutum ut divinas concinerent laudes et adulescentium mentibus sanam traderent doctrinam; Seminarium quoque, aliorum forma et exemplar, ac denique Collegium primae et secundae institutionis quod ad omnia civilia curricula velut praeparatio inserviret. Paulo temporis tractu Seminarium Escuriacii et Collegium gloria et doctrina maxime floruit, auctoritate praecipue sapientium e patria et exteris gentibus delectorum. Ibidem instructi in omnibus disciplinis sunt qui in Seminariis aliisque patriis Institutionibus magistri ac praeceptores summi exstiterunt, et patrias litteras summo honore decorarunt atque honestarunt.

## VIII Alii Claretiani labores pro litterarum cultu

Industria et actio Beati Patris pro litterarum propagatione non his tantum circumscribitur finibus; Bibliothecas populares, Librariam Religiosam atque Congregationem Sororum a Virgine Immaculata ad docendum destinata—cum Cubanam Archidioecesim reget (a. 1859)—condidit; ipse ab eximio nostro Balmesio, aditus praeccludendi causa immoralibus iisque noxiis fabulis novellis, quae maximo popularium favore gaudent, expostulavit ut fabulas omni ratione probatas ederet et christiana pietate et sociali doctrina perfusas; tamen, uti videtur, hujus operis, maximae quidem mollis, lineamenta tantum mente concipere valuit egregius vir, decus Hispanarum litterarum atque ornamentum. <sup>(1)</sup>

Tandem, et finem facimus, apostolicus vir, eo divino caritatis ardore, quo pro salute animarum aestuabat, ut litterarum studium impense foveret, operam viresque praeclarorum virorum concordare—vis enim unita fortior—et erroribus falsae scientiae noxiisque libris undique grassantibus, efficax remedium opponere quaerens, secum ipse cogitavit et condidit «Academiam Sti. Michaëlis», cum decumbere eogeretur a. 1856 ob vulnera in Holguin accepta; regali tamen

(1) Postius, *Pedagogía del V. Claret*, p. 10. *Obras completas de Balmes por el P. I. Casanovas*. 1924, II, p. 84.

adprobatione non nisi a. 1859 donata est. Scopus «Academiae» erat consociare uno spiritu unoque labore et conatu omnes viros aliqua arte aut scientia praestantes, ut sicut filii tenebrarum suos errores quaquaversum diffundere ac proseminare omnibus adhibitibus rationibus satagunt, ita et filii lucis omnes in unum propositum conspirantes, disciplinas artesve sub ductu Ecclesiae ejusque doctrinae summo studio colerent.

## IX Conclusio

Studium atque industriam Beati Claret pro institutione puerorum et adulescentium, ac pro litterarum artiumve cultu, mente repetit hodie Patria ac sese honoribus et laudibus jungens quibus Mater Ecclesia eundem in monumento sanctitatis aere perenniore collocatum prosequitur, genibus se ante illius simulacrum provolvit ut pariter Sanctum veneretur et talem qui certe hac posset gloriae corona et inscriptione redimiri:

*Juventutis moderatori  
humanitatis ac litterarum fautori  
Patria.*

# Quantam Claretiani litteris Latinis dederint operam

Josephus M. Jiménez, C. M. F.

## I. Pontificum orbitas consecrantur

Claretiani Filii, cum a Legifero Patre statutum acceperint ut «*Smos. Pontifices magna prosequantur reverentia, dilectione et oboedientia*» <sup>(1)</sup> Pontificum placitis obsecundantes, litteras Latinas negligere aut non magni habere minime potuerunt. Quanto enim studio Romani Pontifices, ut sermo Latinus semper floreret lateque vigeret, contenderint nemo est qui audacter inficietur. At cur aliorum Pontificum documenta nunc adferam cum Pii XI recentissima exstent scripta lucida et probatissima in A. A. Sedis edita? «*Nihil mirum si Decesseres Nostris, ait ipse Pius P. XI, nunquam pro rerum temporumque condicione sibi tentaverunt, quin Latinitatis rationibus prospice-*

(1) Const. I, 2.

rent, quod eo studiosius egerunt quo deteriore in statum Latinae litterae decidissent». <sup>(1)</sup> Quae cum ita sint ad rem proprius accedamus atque meo munere fungens quantam litteris Latinis Claretiani dederint operam ostendere conabor.

## II. Viri de litteris Latinis bene meriti

Nomina eorum qui Latinas disciplinas auctoresque majore cum ardore coluerunt haec nova rubrica capiet; inter quos Cajatenum Girbau, Emmanuelem Pardinilla, Johannem Mestre, Josephum M. Fernández recolere juvat, omnes quidem conscientia bene actae vitae placide in caelo quiescentes. Cur vero eos memorem qui nobiscum in terris versantur cum aliunde a Palaestritis satis notos reputem? Exceptione tamen pro cl. Emmanuele Jové et Michaële Villate utar dignissima.

*Cajetanus Girbau.*—Nunc vero humanissimi viri Cajetani Girbau memoriam recolentes, iudicium ab his qui eum recte noverant acceptum liceat expromere: eum nempe, magistrum fuisse dicunt in litteris Latinis a nostris nondum superatum.

Neque enim operibus tantum litterariis dignus est qui laudetur, sed etiam doctrinae et litterarum amplissima informatione quam ipse in publicis conlationibus, in privatis quoque manu scriptis Latino semper et eleganti sermone compositis praeter intentionem evidenter demonstrabat. P. Girbau Manresae in Hispania die 18 mens. sept. a. 1818 natus, presbiter dein ordinatus, litterarum Latinarum magisterio insignitus, apud Claretianos receptus est anno 1876. Sanctitate claruit et litteris. Posteritati haec opera reliquit: »*Elementos de Gramática Latina comparada con la Castellana*» Barcinone edit., »*Tesoro del Humanista*» anno 1893 Barcinone edit., atque edendum pareverat »*Gradus ad Pernassum*» necnon »*Grammaticam totius Latinitatis absolutissimam*», quae tamen opera quibusdam ex adjuuctis nondum publici juris facta sunt.

*Emmanuel Pardinilla.*—Hic qui philologicis subsidiis erat adprime munitus atque idiomatibus plurimis informatus, tunc e vivis ereptus est cum fructus optimos coeperat efferre. In auctoribus classicis tum Latinis, tum Graecis, tum Hispanis se totum impendit, de quibus rectissima iudicia protulit in opere »*Estudios de Humanidades y letras*» in ephemeride »*La Controversia*» vulgato. »*Salomón*» quoque poëma mire confictum scripsit ubi vestigia Homeri et Vergilii facile reperies. Cluniae (*Ciudad Real*) anno 1897 vita functus est annum tantum primum et trigesimum agens.

(1) Motu Pr. Latinarum litt., A. A. S. 1924, p. 417.



*Johannes Mestre.*—Non sine dulcissima recordatione Johannem Mestre institutorem carissimum evocabo. Vitam in docendo linguam Latinam non frustra peregit: nam praeter alia privata minoris momenti scripta, in operibus «*Elementos de Gramática Latina*» (3.<sup>o</sup> - 2.<sup>o</sup> grado) atque «*Rudimemos de Gramática Latina*» (1. grado) elementa praecipuorum Grammaticorum conlegit et ordinavit, quae opera in archivis adservata professores plerumque utilitate maxima cunsulunt.

*Josephus M. Fernández.*—Opus quod Cajetanus noster nondum absolutum reliquerat, Fernández adcurate perfecit atque in usitata «*Gramática Latina*» duodecies ab anno 1897 edita recepit. At «*cum longum sit iter per praecepta, breve et efficaz per exempla*», opus quod audit *Gimnasium Latinum* anno 1903 ipse tipis mandavit. In eo exercitia continentur locutione classica et novitate quadam condita principiis grammaticae respondentia. Hujusmodi viri obitum Palaestra Latina in fasc. 29 dolenter flebat.

*Michael Villate.*—Opusculum «*Compedio Prosódico Latino*» a Patre Villate conscriptum prodiit a. MCMII, in quo regulae Latinae prosodiae explicantur et tabulae proponuntur vocabulorum quae a natura syllabas producunt vel coarctant mire ordinatorum. Ergo merito in hac serie auctorem non indigne recipimus.

*Emmanuel Jové.*—Quis cl. Jové hujus commentarii dignissimum Moderatorem non audierit. Ne tamen viro molestiam ullam meis laudibus adferam libenter tacebo ut *Candidatus* et *Palaestra* ejusdem gloria maxima silenter lequantur.

### III. Commentarii latine editi

Claretiani cultum litterarum Latinarum non tantum foverunt scholarum libris sed maxime commentariis periodicis latine conscriptis. Liceat, a Candidato Latino incipientes, nonnulla de eorundem origine et progressu declarare.

*Candidatus Latinus* seu internus ad linguae Latinae studium apud scholasticos nostrates colendum commentarius, alternis mensibus editus, a. MCMXXVIII primum lectores salutavit. Audi quid de eo *Alma Roma* senserit: «...Commentarium ipsis nostris vestigiis institum in Hispania vidimus, Emmanuelis Jové opera, qui Missionariorum S. Cordis M. sodalis, auctor fuit ut, sub *Candidati Latini* nomine domesticus ut ita dicam, —in usu nempe tironum Congregationis suae, —novus conderetur commentarius, isque bimestris, in quo magistri et discipuli quae grata aut opportuna haberent ad Latinum studium impensius inter se colendum exprimerent, operamque etiam nec exiguam conferrent in res novas litine exprimendas». Can-

didatus optimas laudes ubique consecutus est, unde viri litterati a moderatore expostularunt ne comentarius ad sodales Claretianos tantum reductus esset, unde duodenis editis fasciculis *Candidatus* in commentarium publicum mensilem devenit atque a Palaestra Latina subficiebatur.

*Palaestra Latina* veste nova novisque viribus in campo bonarum litterarum mense oct. a. MCMXXX auspicato prodiit. Atque, qui qualesve fructus in hunc usque diem efferre vidimus! Nihil ergo mirum si Palaestrae subnotatores cottidie mirum in modum creverint. Sed nolo ipse commentarium nostrum laudare, sed potius aliorum testimonia adducere. Cl. Andreas Haberl haec habuit: «*Opus magnum suscepisti, mi Jové, et plenum laboris, sed dignum immortalitate*» (Bad-Driburg, I, XII, 1930). A. Reixach Vicensis seminarii professor egregius ait: «*Nihil tibi dicam de tua Palaestra quam omnes norunt et laudant peritia, concinnitate, doctrina, amoenitate, adolescentulorum utilitate*». (Vici, 16. XXII, 1930). Atque J. Aloisius Sampere, S. J. posterius scripsit: «*Singulari Dei providentia ad manus meas pervenit pulcherrima ephemeris Latina quae Palaestra Latina audit. Quoties ipse, qui plurimos annos in instituenda juventute conlocavi, volui adgredi opus simile huic, quod splendide ac naviter hodierna die a te vidi absolutum! Nam paucis foliis rem grammaticam egregie depingit atque odorem quemdam antiquitatis classicae spirat. Qua perspicuitate, quo splendore, qua varietate ac verborum aptissimorum abundantia omnia sunt perpolita!*» (Chavetoniae, 2, X, 1933). His auditis testimoniis Deo Maximo gratias referamus et B. Cordi Mariae Virginis atque pro Palaestra ferventissimum hunc votum exproamus: O Palaestra, caeli te beent tibi que prosperent!

*Commentarium pro Religiosis*. Quidni quoque sub hac rubrica «*Commentarium pro Religiosis*» inseramus? Quod si juridicum potius est quam litterarium, utpote latine conscriptum, in nostram probationem adduci etiam potest. «*Commentarium pro Religiosis*» ab anno 1920 cura et opera Missionariorum FF. I. C. B. M. V. Romae periodicis fasciculis editur peritorum admiratione et plausu.

#### IV Litterarum Latinarum apud nostrates ratio tradendandarum

Institutio Latina Claretianorum juvenum eo maxime vergit ut «*clerici, iisdem usus verbis ac Pius P. XI in epist. «Unig. Dei Filius», linguae Latinae scientiam atque usum quam accuratissime percipiant*». Haec ratio est cur Ordo Studiorum Generalis (O. S. G.) pro Missionariis adprobatus, cum de gymnasialibus disciplinis agit praeci-



piat» ut Latinum sermonem veluti familiarem omnes habeant sive in legendis classicorum libris, sive loquendo et scribendo (art. 97). At in gymnasio minime perficitur informatio classica, sed postea in lyceali facultate completur. Unde O. S. G. pro lyceo ait: «*Studiorum lycealium cursus comprehendit... Criticam litterariam (art. 107), quae litteraturam Latinam, Graecam, et praesertim patriam comprehendere debet...*, (art. 113, I) *Nemo culturam litterariam se reputet comparasse, qui majores auctores classicos non legerit eorumque praecipua etiam memoriter non didicerit*» (id. II). Denique vi articuli 146 professores superiorum facultatum sermone uti Latino coguntur.

Nunc vero si gymnasialem institutionem propius consideremus, hac duplici ratione ordinatam inveniemus, doctrinali nempe seu didactica et practica seu exercitatoria. Nam praeter regulas grammaticas magistri fovere curant auctorum lectionem imitationemque, sermonem Latinum, selecta a discipulis conloquia memoriter recitanda, sed maxime Latinam scriptionem de qua Cicero: «*Nulla res, inquit, tantum ad dicendum proficit quantum scriptio*» (Brut. 37, 24).

## Fundatio Congregationis

Res agitur in aula seminarii Vicensis

Raimundus Illa, C. M. F.

SCAENA I

PP. CLARET et CLOTET

(*Btus. Claret librum quemdam volutans*).

P. CLOTET. — (*cubiculum ingrediens*).

Salvus sis, optime Claret.

P. CLARET. — Salve et tu, mi Jacobe. Nihil congruentius ista tua visitatione; hoc ipso enim vespere tecum, una cum aliquibus hujus Leviticae civitatis sacerdotibus, de magno opere colloquium habere meditabar.

P. CLOTET. — Amicus tuus sum, eloquere quidvis.

P. CLARET. — Plena eloquar sinceritate.

Mearum non es ignarus excursionum apostolicarum per dioeceses Catalauniae. In ipsis, pectore tristitiaie pleno, inopiam vigilantium operariorum, qui Dominum adjuvent in messe colligenda, animadverti. Tantam animarum videns spiritualem miseriam, Congregationem constituere decrevi, quae sub Purissimo Corde Mariae ad regnum Christi per omnem orbem dilatandum se devoteat.

P. CLOTET. — Non possum consilium tuum non laudare. Quos autem elegisti ad hoc opus perficiendum?

- P. CLARET. — Quattuor praeter te elegi sacerdotes: Dominos scilicet, Sala, Xifré, Fábregas, Vilaró. In suo quisque nunc cubiculo sunt; placetne tibi illos convocare?
- P. CLOTET. — Faciam libentissime et acutum. Vale! (*Egreditur*).

SCAENA II

BTUS. CLARET SOLUS

(*Ad Imaginem Btae. Virginis*)

Nefasto vitii proelio, Mater, opprimit mundum Satanas atque in infernos animas furenti dejicit ira. Ego vero tantam ut impediam orbis ruinam congregationem sub tuo patrocinio stabilire volo ad avernum firmiter debellandum. Militis ergo tui conatibus faveto benigna.

SCAENA III

(*Omnes confundatores*)

- CONFUND. — (*Ingredientes*) Ad tuam accincti sumus voluntatem, Pater Claret.
- P. CLARET. — Salvete, optimi; sedete, obsecro. (*Sedent*). Omnes quidem magnam nostis spiritualem mundi miseriam, quam ob exiguum sacerdotum numerum Satanas est adsecutus. Ego vero clamori respondens Jesu dicentis: «Messis quidem multa operarii autem pauci», statui vobiscum congregationem formare, quae sub Purissimi Cordis Mariae patro-

cinio mundum percurrat totum, regnum Christi dilatando. Haec est praesentis convocationis causa.

- P. VILARÓ. — Sed partium expertes sumus clarorum contionatorum. Quo modo ergo ad pedes Crucifixi mundum adferemus?

P. CLARET. — Et Jesus duodecim terram convertit piscatoribus...

P. CLOTET. — Ergo me tibi adjungo!

P. XIFRÉ. — Et ego nomen do huic congregationi!

P. VILARÓ. — Respice in me tuorum ultimum Missionariorum!

P. FÁBREGAS. — Ante faciem caelorum, in congregatione tua juro me usque ad mortem permansurum!

P. SALA. — Testis sit Dominus meae resolutionis: Missionarius sum, Filius Cordis Mariae.

P. CLARET. — Actum est. Sub vexillo Purissimi Cordis Mariae mundum percurramus totum, averno bellum fortiter geramus! Procul metus; Dominus erit nobiscum. Et cito ad novam de *Mercede* mansionem procedemus. Laus Deo et Purissimo Cordi Mariae.

OMNES. — Sint Eis semper laudes et gratiae.

(*Surgunt omnes et evadunt*).

*Cervariae.*

# Claretianorum Opera in Tradendis Disciplinis

Antonius Arranz, C. M. F.

Finis, quem Beatus Claret constituit suis, est omnium hominum aeternam querere salutem. Quibus autem rationibus illi uterentur? Catechesi et sacra verbi Dei praedicatione per missiones praesertim atque spiritualia exercitia cuique hominum generi. Ita visum est Conditori Congregationis Claretianae, cui nostra memoria accedere debuit institutio scholaris, qua ratione ad recentis temporis apostolatam nescio an alia extet efficacior, certe prorsus necessaria. Cujus necessitas numquid eum praeterire poterat qui multos annos nostra tempora est praetergressus? Quam ob rem in Constitutionibus quas Missionariis legaverat scientiarum acquisitionem saepe urget, ut eas dein non modo populo fideli per sacras praedicationes tradere queant, sed adolescentibus etiam, qui aulas frequentaverint, tum in Collegiis primae Institutionis, tum in Gymnasiis, tum in Seminariis aliisque sedibus quarum moderamen obtinuerint.

Cum igitur leges ferret ad adolescentulos qui apostolico se accingunt magisterio, injunxit ut mentes sedulo colant scientiarum acquisitione: quas quidem scientias servato scilicet ordine virtutibus adaequat. Impensius autem in re versatur, si fieri potest, cum scholasticorum Praefectum adloquitur cujus est et hortationibus et curis animos mentesque alumnorum sibi commissorum explicare qui ex officio in collationibus et instructionibus, quas ad eos habuerit, virtutum quidem exercitium inculcare debet, disciplinas nullatenus negligendo, siquidem, ut ipse Beatus Antonius ait, «sanctitas et intelligentia sunt veluti duo Missionarii pedes, uterque proinde necessarius».

Sed quasi parum esset quod hucusque diximus, Beatus Claret ut filioli ex sacerdotali curriculo magnum scientiarum sibi adsciscant thesaurum, jubet eos post acceptam sacerdotii dignitatem, recolendis quae didicerint toto vitae tempore incumbere, in iisque continenter progredi, quem ad finem praeter quam quod examina annualia subibunt, singulis diebus uno in hebdomada excepto collationi aderunt quae de rebus scitu necessariis habebuntur. Quotquot post Beatum Claret Missionarium Congregationem moderati sunt et mo-

derantur pari modo de disciplinis incessanter promovendis percenserunt. Quas ut melius propulsarent, praesertim ecclesiasticas, et Capitula Generalia et Supremi Moderatores Instituti id prae oculis semper habuerunt: interna nostra collegia et scholasticorum sedes ad speciem Universitatum Romanarum, quantum fieri potuit, ordinare.

Ut mitam cetera, quae antiquiora sunt, in exemplum prodam Generalem Studiorum Ordinem in Capitulo Generali elaboratum a. 1922. Ibi in Humanioribus litteris praeter historiam et sacram et patriam et universalem magno studio commendatur lingua Graeca, Latina et vernacula, neque praeteritur Gallica. In lyceo Philosophiam juxta recentissimas Psychologiae investigationes tradunt Professores, Physicam et scientiam naturalem linguam Anglicam vel Germanicam, Criticam litterariam et historiae Philosophiam. Sed ubi splendoribus coruscat vehementibus indefessus alumnorum labor est in scientiis Theologicis cum variis ejus partibus: Dogmatica, Morali, Juridica una cum facultatibus quas bonus theologus ignorare omnino non debet, Historiam nempe Ecclesiasticam, Scripturam Sacram, Theologiam Asceticam et Mysticam.

Neque praeteream tum in philosophicis scientiis, tum in theologicis Missionarios Claretianos orbes stricte sequi quos Divus Thomas descripsit adeo vehementer a Summis Pontificibus Leone Papa XIII ejusque successoribus commendatos ut probata ratione devotionem quam erga eam Sedem Apotolicam nobis legaverit Beatus Conditor ostendamus, et ut crepidinem objiciamus falsis doctrinis modernistarum atque omnium Ecclesiae hostium. Quam ob rem demonstrantur et defenduntur in aulis nostris lycealibus eae philosophicae theses quae scholasticae fundamenta reputantur; dum in Theologia ebibitur Aquinatis doctrina, in puris authenticibusque fontibus, in aureis Summae paginis.

Eam tamen Missionariorum Claretianorum scientificam formationem levem adhuc non fuisse neque perfunctoriam, sed solidam atque completam probant operosa ministeria quibus magna populorum laude et utilitate plerique eorum incubuerunt. Defectus professorum globus ad primam puerorum institutionem vires applicavit in 30 conlegiis; Superior etiam adolescentium institutio commendatur in Gymnasiis iisque nonnullis ad Statum pertinentibus in Hispania et in Colonia Fernandiana ad Guinaeam Africanam et in multis civitatibus Americae Australis. Patet quoque eorum fructuosus labor in cultu pietatis et litterarum fovendo eorum qui ad sortem Domini sunt vocati in pluribus Seminariis quae jussu Episcoporum moderantur in paeninsula Iberica et Italia et in novissimi continentis nationibus. Inter eximios Congregationis Claretianae professores in

medium producimus tantum Philippum Maroto auctoritate in re juridica maxima pollentem, cujus sententia apud Curiales Romanos saepissime requiritur, quem proxime sequuntur Arcadius Larraona et Servus Goyeneche. Quid memorem Rdm. P. Josephum Puigdesens vasta atque profunda in rebus philosophicis et theologicis eruditione quam longos annos in universitate Pontificia Tarraconensi luculentissime protulit; in cujus Seminarii Cathedris regendis non minores obtinuerunt lauros et Fridericus Vila et Jacobus Mir? David Garcia, Florente juvena fervidus, potenti viget intellectu, cujus nomen in provincia philosophorum et mathematicorum reverenter pronuntiatur, dum cathedram regit in lyceo nostrorum alumnorum ad Sedem Episcopalem Celsonensem constituto. Johannes Agustí in aulis Cervariensibus lumen Theologiae multos lustros inextinctum servabit et servat; ejus enim ductu juvenum et professorum constellatio orta est quae magna laude opus litterarium prosequantur ab decessoribus inchoatum.

Brevitati studens alia mitto nomina bene plura egregiorum professorum ne et modestiam eorum laedam mihiq̄ videar tot tantisque fratribus adsentari. Sed alius est fructus vere exquisitus quo nos donat frondosa arbor quam Filii Beati Claret excolunt mirifice: *Ephemerides*, libros appello ab iisdem editos undequaque terrarum. Ex quibus tantum huc adferam *Commentarium pro Religiosis ephemeridum canonicarum* vere antesignanus quod Romae binis prodit mendibus; *Ilustración de Clero* Matriti edita vera arx unde omnes sacerdotes Hispanica loquentes lingua gladios comparant utraque parte acutos in omni ecclesiastica disciplina. Quis ignorat ad cantum sacrum promovendum prodire etiam Matrito *Tesoro Sacro Musical* qui recentes conatus in arte divina excoquit atque divulgat magna sociorum gratia atque favore? Nihil de Palaestra Latina dicam quae brevi quidem apparatu cultum Latinitatis fovere contendit.

Hic tamen calamo obsistimus ne diutius lectores detineamus. Exoramus autem Beatum Patrem Claret in solemniis Beatificationis ut novos filios suscitet et praestanti ingenio viros, qui una cum virtutibus omnium disciplinarum semina perfundant ad majorem Dei gloriam totiusque mundi salutem animarum.

# Beatus Antonius Claret

## Concilii Vaticani Ornamentum

Johannes Prats, C. M. F.

Die 8 m. Decembris anno 1869 Summus Ecclesiae Pontifex Pius Papa IX Romae in Basilica Sti. Petri pompa et magnificentia in Regia Pontificia usitatis Concilium Vaticanum, quod inter eventus saeculi XIX maxime excelleret, sollemniter inauguravit.

Inter eximios Episcopos et Ecclesiae principes qui eo tempore Pium IX, immortalis memoriae Pontificem, circumstabant modestus aderat praesul, Ecclesiae laus Hispanicae, laurea sanctitatis vividissime fulgens qui haud multos post annos futurus erat Concilii Vaticani praeclarum ornamentum, utpote qui primus inter Patres tam illustri coetus altarum honores esset obtenturus: Beatum dixi Patrem Antonium Mariam Claret, Archiepiscopum Sti. Jacobi de Cuba, dein Trajanopolitanum atque Elisabeth II Hispanorum Reginae Confessarium. Extollamus igitur paucis quidem versibus operositatem Bti. hujus Archiepiscopi in Concilio Vaticano.

### I Quamnam in negotiis Concilii habuerit partem

Ab Elisabeth II tandem veniam obtinuit discedendi ad Urbemque trajiciendi; et die 30 m. Maji anno 1869 Lutetia Parisiorum est egressus ubi exilii aegritudines cum infortunata regina participabat. Die 2 m. Aprilis ad Orbis catholici caput devenit et paullo post tempore audientia a Pontifice exceptus est magno cum utriusque gaudio. Premebatur, ut videtur, ab eodem Pio Papa IX ut, humilitatem superans, Romae diu remaneret ut particeps fieret consiliorum et laborum quae magno animorum ardore parabantur. Hac autem periodo praeparatoria laboribus Concilii auxilium praestitit abs dubio validissimum et efficax, praecipue consiliis suis quae maximo aestimabantur pondere et ideo a Patribus quam plurimis ambiebatur, cujus lumini et experientiae proposita concredebant, ut deducere clare fas est ex litteris quas id temporis misit Servae Dei Antoniae Paris in quibus haec habet praeter cetera: «Nunc summo opere distineor in negotiis Concilii praeparatoriis. De multis enim rogor utpote qui multis interfui locis vel ea visitavi, quod me occupatissimum tenet». Inter complures eosque eminentissimos viros qui ad Sancti Adriani venerunt, ubi Bea-



tus Claret diversabatur, ut cum eo conloquerentur ab eoque de rebus valde ancipitibus sumerent consilium, praecipue purpuratos Patres meminero Antonelli a secretis status Suae. Sanctitatis, Barilli unum ex quinque Concilii praesidibus, Manning Archiepiscopum Wesminsterianum, Lastra Archiepiscopum Hispalensem et Barrio Archiepiscopum Valentianum. Alii quoque plures ad eum accesserunt qui serius in Concilio cordatis sententiis conspecti sunt. Jam tandem sessionibus consiliariis sollemniter initis adsiduo interesse pro officio voluit, non obstantibus molestiis quibus ex infirma valetudine ejus corpus tunc temporis adflictabatur.

## II Pontificatus amator ejusque praeerogativarum adsertor

Quod omnium Patrum animos magis concitavit in Concilio Vaticano fuit procul dubio quaestio de Infallibilitate Pontificia, quae pro vehementissimis plurimorum Patrum instantiis inclusa est in schemmate constitutionis *De Ecclesia Christi*. Frequentes admodum fuerunt Patres, atque ii clarissimi, qui in variis sessionibus generalibus magna argumentorum copia et mira facundia hanc Romani Pontificis praeerogativam strenue propugnarunt, praejudicia refellendo et proterendo sophismata adversariorum qui, politicis et religiosis Europae conlatis adjunctis, falso inopportunam eamque nocivam arbitrabantur dogmaticam de Infallibilitate Pontificia definitionem.

Jam inde ab initio conspiciebantur Episcopi Hispani ineluctabili ad Pontificatum adhaesione quos inter eminuit nobilis Conchensis Episcopus Dr. Payá et Rico qui appellare meruit concilii Vaticani Crysosthomus.

Qua igitur sollicitudine et accrescente cura discussiones de ea quaestione sequeretur et quo tandem vehementissimo dolore quorundam sententiam definitioni dogmaticae oppositam defendentes audiret, ex ardenti amore possumus deducere, ex profunda in sanctam Sedem veneratione quam semper fuerat professus. Tantam enimvero quadam die indignationem sanctam est expertus, ut quemadmodum ipse ad Rmum. P. Josephum Xifré scripsit, sanguis in caput ejus ascenderit atque adfectionem persenserit celebralem. Os ejus salivam continere nequibat et sensim per utramque genam redundabat praecipue per eam quae cicatricibus adhuc laborabat ex vulnere in Cuba excepto. Quamquam ex eo lingua ejus non parum torpuerat, tamen in Congregatione Generali 62 die 21 m. Maji habita, se amplius continere non potuit, atque exurgens pro contione sermonem adripuit, et brevem sed luculentam, sed fervidam orationem habuit quae adstantes vehementer commovit. Liceat mihi aliquas ex ea desumere

paragraphos quas ad litteram adferre integrum non fuit: «Emmi. ac Rmi. Patres; cum superioribus his diebus quaedam audivissem verba quae animo meo summe displicuerint, mecum constitui verba facere conscientiae stimulis coactus, illud veritus Isaiae Prophetae: *Vae mihi quia conticui*. Juxta schema igitur quod in manibus habemus loquar de Infallibilitate Pontificia». Continuo calidissimis verbis et ferrea argumentatione doctrinam de Infallibilitate Pontificia comonstrat ex Scripturis Sacris, ex traditione, ex Conciliis atque tandem opportune adfert illam Sanctae Teresiae a Jesu visionem adserens omne malum quod in mundo crassetur ex SS. Scripturarum ignorantia promanare, quas si vere noverimus, eam veritatem in illis contineri perspicue nosceremus. «Haec est mea fides – inquit – atque omni studio exopto ut mea fides sic fides omnium. Ne homines timeamus qui non aliud habent fundamentum quam hujus mundi prudentiam... Non dubito, Emmi. ac Rdmi. Patres, talem de Infallibilitate Pontificia dogmaticam definitionem cribrum fore, quo Dominus noster Jesus Christus aream suam mundabit, quo triticum in horrea sua congregabit, dum igne inextinguibili paleas comburet. Haec declaratio lucem dividet a tenebris. Utinam ipse pro ea sacrificium consummare possim, quod anno 1856 incoepit cum de suggestu descendendi postquam de fide, deque bonis moribus egeram die 1 m. Februarii in pervigilio festivitatis Purificationis Btae. Mariae Virginis. Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, in facie, ut videtis, et bracchio! Utinam mihi liceat vitae meae cursum perficere ex imo pectore confitendo: Credo Summum Pontificem infallibilem esse».

Quae Beati Patris calidissima verba profundissimam in senatu commotionem excitarunt ut ipse litteris scripsit paullo post ad Matrem Antoniam Paris datis. Idem testati sunt verbis satis laudatoriis et veneratione saturis haud pauci illustres Praesules praestanti virtute praediti ut Cardinalis Sanz et Forés Archiepiscopus Hispalensis, Dr. Benitus Vilamitjana Archiepiscopus Tarraconensis, Dr. Anastasius Rodríguez Archiepiscopus Burgensis atque Episcopi Malacensis et Pacensis, cet.

Postridie etiam hujus contionis eum convenit quidam purpuratus Pater natione Anglus, probabiliter Emmus. Manning ut ei gratularetur atque in colloquio dixit: «Vos, Episcopi Hispani, Pontificis estis custodia imperialis; cum proelium committitis, omnia profligatis». Insuper ex quorundam testium testimonio in processu virtutum deposito constat plures ex patribus, qui in disputatione perplexi fuissent, alacres ex ejus verbis factos auctoritatem ejus esse secutos.

Acerbae de Infallibilitate Pontificia discussiones, interdum vehementissimae, quae animum ejus amaritudine adfecerant, dulcedi-



nem tandem magnam cordi ejus pepererunt, cum die 18 m. Julii Pius Papa IX sollemniter edicta Constitutione *Pastor Aeternus* dogma de Infallibilitate Pontificia Urbi et orbi promulgavit. Quam recte Beatus potuit tunc concinere ut olim Simeon ille senex: *Nunc dimittis*. Paulo post, accepta venia a Summo Pontifice communiter data, accedens instantiis Rvmi. Patris Xifré, supremi nostri Instituti Moderatoris, quem ejus valetudo maxime sollicitabat, Roma discessit ut Prades ad Galliam accederet, quo, post exilium ab Hispania, tota fere Congregatio nostra convenerat. Inde a gubernio Hispanico inique persecutus, migrare coactus est Fontem Frigidum ubi in Coenobio Cisterciensi pretiosam vitam finivit.

### III De sanctitatis fama quam Beatus Claret apud Concilia Patres sibi conciliavit

Extraordinariam famuli Dei virtutem oculos Praelatorum non fugisse, quorundam Patrum testimonia clare manifestant. Quis primum omnium non noverit affectum atque venerationem singularem qua magnus ille Pontifex Pius IX eum prosequabatur? Etenim paullo antequam Concilium inchoaretur cum Domino Martiali Avila, Rotae Romanae Decano, amice colloquens: «cito sunt venturi, ajebat, tuae nationis Episcopi; o Episcopos, praesertim vero Dominum Claret! Nae ille sanctus profecto est! Nos eum non poterimus clarificare, sed alius certo in numerum sanctorum addet. Dominus Lafflèche Episcopus Canadensis scripsit: «Quanam animi affectione tactus fuerim a Domino Claret, patefacere nesciam. Quoties perdurante Concilio eum attingebam in viis Urbis quemdam intimum sentiebam impulsus venerationis in eum ut si esset in altari». Alius clarissimus vir qui eo tempore Beato Claret familiariter usus fuerat, eum aderebat esse sine dubio omnium Patrum maxime exemplarem. Idem declaravit sacerdos Hispanus Rvms. D. Hilarius Torrens qui cum esset in Basilica Sti. Petri contemplari potuit omnes Patres cum in aulam Concilii ingrederentur. Dominus Fessler, Episcopus Sti. Hipoliti et a Secretis Concilii postquam mirabilem orationem quam Beatus habuit de Infallibilitate Pontificia audiisset exclamasse fertur animo emollitus: «Vere Dominus Claret est Confessor fidei». Eandem ob causam quidam Americanus Praesul Beatum Claret contulit cum antiquis Episcopis Paphnutio et Potamone in Nicaeae Concilio et Tyri. Jure ergo potuit Emmus. Cardinalis Lluch et Garriga Archiepiscopus Hispalensis scribere, ex beatificatione Antonii Claret maximam esse exorituram laudem et Deo et Pio Papae IX et Concilio Vaticano cujus in praeclarissimis praeclarum existit membrum.

## Epistularum Commercium

*Emmanuel Jové, C. M. F. Andreae Avenario S. P. D.*

Non sum amicus, hercle! tuus, nisi tibi nuntium exspectatissimum, sed tandem verum manifesto. Congregationis nostrae Fundator atque Legifer in numerum Beatorum eo die recensebitur quo tu meas litteras probabiliter accipies, die nempe 25 hujus vertentis mensis februarii. De eo quid dicam cum tanta hoc facto dicat Ecclesia? Silentium maxima laus erit. Plura videbis cum numerum extraordinarium PALAESTRAE acceperis, quem paramus. Omnes Congregationis fratres gaudio exultant propemodum infinito, praesertim quibus Romam pergere obtigit. Te mecum congaudere volebam, nec quid amplius succurrebat. Vale.

Cervariae die 20 februarii 1934.

*Andreas Avenarius S. V. D. Emmanueli Jové,  
felici BEATI CLARETI filio, salutem.*

Magnam tibi conciliaſti gratiam meam, quod non praetermiſiſti amicum participem facere communis familiae Claretianae laetitiae. Qui nuntius ad me perlatus est, non ut putaras, poſt feſtum, ſed pridie. Sic effecit, ut mens mea toto die modo Romae verſaretur apud communem patrem Chriſtianae familiae, modo ad te tuosque fratres transvolaret et de veſtris gaudiis gauderet ipſa.

Labente jam ſolis rota verſus Atlanticum mare et brevi poſtremum ſalutante diem laetitiae, haec ipſa ad te cudenda viſa ſunt amico. Jam mane ad aram agentis quam mihi praeclare tota miſſae formula Cordis Mariae filiis accommodari viſa eſt! An non beatus ille Pater veſter Pauli verbis, quae in *epiſtola* leguntur, et ter in officio Divino relata ſunt, vos admonet: «Rogamus vos fratres et obsecramus ut quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, ſic et ambuletis, ut abundetis magis?» Quis veſtrum hodie non ſenſit, quam verum eſſet, quod in miſſae *tractu* eſt: «Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſaeculum miſericordia ejus» et quae ſequuntur? Et fratres quodam modo cum Chriſto tranſfiguratos fuiſſe ipſe commemoraſti in litteris. Quid multa? Singula verba *offeratorii* et *poſtcommunio*nis ad ſodales beati Confessoris atque Pontificis accommodem, ſi hoc hodie muneris ſit mei: pronuntiare vobis homiliam. Hoc enim habent illae miſſarum formulae, ut non minus quam turrium noſtrarum campanae iisdem ſonis, iisdem verbis varie animum afficiant vel laetantem vel ſubtriſtem vel maerentem.

Poſt ſacrum illos duos in manus ſumpſi libellos, quos ante nonnullos annos ad me dederas: unum de vita beati patris veſtri, alterum de familia veſtra; utrumque perlegi, ut ſcirem quantus homo hodie ornatus eſſet altarium honoribus. Intellexi igitur juſte vos exultare et, ut ita dicam, inebriari laetitia. Gratulor igitur tibi et iis, quibus per te ex fratribus tuis notus ſum, tantum boni, precorque Deum, ut super-

no patris vestri auxilio eam vineae Domini partem, quam quisque est sortitus, simili atque Beatus Antonius studio et fructu excolatis.

Mihi autem ipsi hic dies stimulum addet, ut, quamdiu licebit, adlaborem PALAESTRAE illi, quae a Claretianis sodalibus, te duce, in lucem editur. Post pascha igitur nomen videbis meum saepius. Antea me impediunt illa pastoralia auxilia, quae eo tempore a nobis exspectantur, et a rectoribus nostris sine invidia nobis imponuntur.

Et revera prae gaudio beatificationis «nihil tibi occurrere potuit amplius». Nam addidisses certe, si occurrisset, illos hymnos patroni mei, quos postridie Non. Dec. ad te dederam, tibi redditos esse. Nam, ut nunc sunt tempora rerum publicarum, haud mirum, si quid interdum in via exciderit. Cura ut valeas. V. kal. Mart.

*Emm. Jové, C. M. F. Andreae Avenario S. V. D., fratri dilectissimo, salutem.*

Superioribus tuis litteris nihil mihi potuit jucundius accidere. Quibus lectis ex cella mea celeriter egressus sum, magnam tuam aliis fratribus ostensurus caritatem. Nescio an ullus filius Beati Claret, illos excipio qui Romae fuerunt, penitiorum quam tu laetatus sit gaudio, pari certe. Quid ipse in missae sacrificio cogitaverim nescio, id tantum scio omnia illa sacratissima verba, ut nunquam alias, melle et favo suaviora animo sapiisse. Tu vero quam plane mihi amicitiam tuam significasti! Atque eam puto non tantum epistulari quod jam dudum instituimus commercio inniti, sed etiam et praecipue indoli Societatis vestrae et Congregationis nostrae persimili. Numquid parum tibi videtur in Ecclesia Dei aetate fere esse aequales et recentioris aevi, et sociorum vestratium et nostratium unum atque idem esse Cor Mariae Patronum? Item ex Annalibus Congregationis nostrae saepe novi fratres tuos ubique terrarum, maxime tamen in America, strictissimo jungi amicitiae foedere.

Quid quod nos Missionarii praesertim sumus sicut et vos? Celare te nequeo, quia recentissimum est, iter ad Sinas, quod superiore anno ad finem vergente sex fratres mei cum duplici fratrum tuorum numero in navi Germanica *Trier* habuerunt. Consortium eorum adeo fuit nostris gratum ut tam caros socios ineffabilibus prosequerentur laudibus. Velim insuper scias primos Germanicos adulescentes qui huc in Hispaniam advenerunt ut in nostram Congregationem reciperentur, quod fuit anno 1908, tam facile nobiscum conglutinatos esse, ut non obstante Europaeo bello, quod vocationum Germanarum fontem per quattuor annos praeclusit, eorum numerus prodigialiter creverit; inde fit ut nunc jamjam Germanicam Congregationis fere salutem constitutam provinciam, eamque juvena ferventem.

Recte cogitasti quod prae gaudio nihil mihi occurreret amplius dicere in superioribus meis; occurrit certe cum jam essent datae de receptis carminibus tuis et mirum in modum probatis. Edenda quidem sunt in PALAESTRA, sed occasionem commodiorem expectabo, nisi tu prius eam innueris.

In operculo una cum his Beati Patris Antonii Claret duas imagunculas invenies. Fac ut plurimum valeas. III Non. Martias.

*Andreas Avenarius S. U. D. Emmanuel Jové, C. M. F.  
S. P. D.*

Tuae fecerunt litterae III Non. datae, ut paulisper remota praeparatione «tridui» haec tibi per machinae clavulas consererem. Atque primum quidem magnae tibi gratiae debentur pro verbis tuis vere fraternis, quae semel et iterum cum gaudio perlegi. Gratias deinde ago pro illis imagunculis Beati Antonii, et quod id, quod jam eram te rogaturus, ultro fecisti: ut mitteres ex reliquiis patris vestri. Ora etiam tu semel, ut novum iter ad illum varicum medicum Schleisshemensem, de quo tibi a me quondam perscriptum est, aut inutile reddat, aut ut injectiones novas mihi praecetur tam efficaces, ut postea nullis opus sit, neque opus sit tibiae fasciis; si ita scilicet Deo gratum sit.—Et hoc te vere statuere: inter congregationes nostras et similitudinem intercedere et amicitiam intellexi ante nonnullos annos ex verbis ejus, qui tum generalis fuit superior, nunc assistens est generalis. Is enim mihi affirmavit quondam de Claretianis loquenti, optimos esse homines et multis locis cum fratribus nostris conjunctos. Ceterum religiosi inter se mihi videntur omnes quodam quasi cognationis vinculo conexi, neque eum censeo hominem dici posse vere catholicum, qui non ex animo gaudeat, si quid in vinea Domini, etiam in alia magnae vineae parte praeclare et cum animarum commodo factum est. Omnia membra gaudere affirmat Apostolus gaudente membro uno. Cur igitur ego non gauderem, si cognatis meis, Claretianis, inquam, tanta obtigit laetitia! —Inter vectores illos in navi *Trier* regnasse amicitiam facile credo. Non dubium, quin inter eos ex discipulis meis fuerint antiquis. Proximis feriis fui cum socio in illa domo, ubi natus est ille Anzer, qui primus Societatis nostrae missionarius fuit et episcopus. In parochia ejus natali his annis duobus, immo tribus—jam tres annos in dioecesi originis egi!—saltem sexies fui.

Cum coepero plura scribere idonea Palaestrae hoc etiam te orabo, ut singulis mensibus binos mittas fasciculos. Nam est mihi ex sorore nepos Reichenberger, Ditimontius Latine, revera Pauperimontius, inter discipulos nostros Ingolstadianos, qui nunc octavae classis et rei Latinae deditus vehementer cupit et Almam Romam et Palaestram. Cui si gratum facere volueris, gratum et mihi ipsi feceris. Sed fuerit satis, si meis exemplaribus adolescenti maculatum exemplum addideris, neque in praesentia ut facias rogo, post, cum industria meritis ero, rogabo. Cura diligenter ut valeas et cum fratribus pie post hebdomadam sanctam Pascha concelebres. VII idus Martias.

## EXULTEMUS!

Jos. Matteocci C. M. F.

*Exultet Superum splendida civitas,  
Exultent homines, tartarus infremat,  
Omnes innumeris laudibus efferant  
Clarum lumine nunc novo.*

*Quod clamans refero viribus integris,  
Omnes attonitis sensibus, hauriant:  
«CLARET coelicolum tempora maximis  
Auctus cingit honoribus.»*

*Exsurgant inopes atque pueruli,  
Virtutes celebrent, munere gaudeant  
Patris, qui manibus cordeque leniit  
Dulcis vulnera supplicum.*

*Surgant et moveant pectora gentium  
Omnes ut properi, proximi et exteri,  
Virtutes veniant tollere laudibus  
Dignis dignaque proemia.*

*Huc Romam veniant qui Hispaniam colunt  
Communem patriam, qui genus obtinent  
Aequale et feriant aëra laudibus  
Uno dispositi ordine.*

*Nec quicumque pius dissitus incolit  
Jam tandem sileat, cui vigil adfuit  
Prudenti baculo, Claret, et infula  
Pastor providus et Pater.*

*Pergant innumeri quos alit inclita  
Europa eximios consilio et manu:  
Jam pars quae Domini ad praemia proximum  
In se exceperit ultimo;*

*Jam quae vel juvenem sustulit hospitem  
Quae fractum senio Concilii Patrem,  
Quae nunc aethereo lumine, quod decus  
Divum, tollit ad aethera.*

*Omnes adveniant undique, cordium  
Nubes, Templa premens fulgida GLORIAE  
Atque uno pariter pectore clamitent:  
«Sit Claret decus atque bonos».*

Romae Idib. Febr.

## CONGREGATIO CLARETIANA

Statistica Provinciarum, domuum et sodalium, expleto a. 1932, sic distribuitur:

	Domus	Episc. Praelat.	Vicar. Apost.	Sacerdotes	Scholastici	Coadjuti.	Sch. Novit.	Coed. Novit.	Postul. Sch.	Postul. Coadj.
Domus Generalitiae . . . . .	6			80		23				
Venezolana Visitatio . . . . .	3			8		3				
Suma	9			88		26				
<b>PROVINCIAE</b>										
Catalaunica . . . . .	20			192	172	134	19	15	146	3
Germanica Visitatio . . . . .	5			20		6			46	8
Summa	25			212		140			192	11
Castellana . . . . .	26			206	183	124	46	7	222	8
Boetica . . . . .	23			143	62	76	11		61	3
Chilena . . . . .	17	2		94	17	37	4	2	60	5
Guineae Hispanicae . . . . .	10	1		47		25				
Mexicana . . . . .	19			53		16	13	3	22	3
Argentina . . . . .	12			78	17	18	5	2	56	
Brassilliana . . . . .	17	1		79	30	24	10	2	70	2
Bolombiana . . . . .	11			82	50	44	12		63	12
Chocoana Quasi - Prov. . . . .	4		1	17	8	8				
Summa	15			99	58	52				
Civitatum Foederatar. Ame- ricae . . . . .	19	1		77	21	17	7	3	31	
Panamensis Visitatio . . . . .	3	1		15		4				
Summa	22	2		92		21				
Italica . . . . .	7			32	19	20	9		24	5
Peruviana Quasi - Prov. . . . .	5			33		5				
Summa totalis	207	6	1	1264	571	564	134	34	811	49

**Summa Sodalium**

<b>Professi</b>	Episcopi . . . . .	6		
	Sacerdotes . . . . .	1265		
	Scholastici . . . . .	571		
<b>Novicii</b>	Coadjutores . . . . .	564	—	2406
	Scholastici . . . . .	134		
<b>Postulantes</b>	Coadjutores . . . . .	34	—	168
	Scholastici . . . . .	801		
	Coadjutores . . . . .	49	—	850
				<u>3424</u>

Defunctorum numerus ab initio Congregationis usque ad expletum annum 1932:

Episcopi . . . . .	3
Sacerdotes . . . . .	510
Scholastici Profes. . . . .	254
Coadjutores > . . . . .	371
	<u>1138</u>



# Beati Claret Fasti Insigniores

## Anno

- 1807.—Die 24 m. Decembris Sallenti in oppido Hispanico apud Catalaunos nascitur.
- 1807.—Die 25 m. Decembris sacro abluitur baptisinate.
- 1814.—Die 12 m. Decembris Sacramento Confirmationis munitur.
- 1827.—Die 29 m. Decembris in seminario Vicensi curriculum ecclesiasticum incipit.
- 1832.—Die 2 m. Februarii Vici in statum clericalem ingreditur per primam tonsuram.
- 1833.—Die 21 m. Decembris ordines minores Vici recipit.
- 1834.—Die 17 m. Maji Subdiaconatus ordine Vici decoratur cum Balmeisus ad Diaconatum ascendebat.
- 1834.—Die 20 m. Decembris Vici Diaconatus ordinem obtinet.
- 1835.—Die 13 m. Junii Solsonae sacro presbyteratus ordine auctus est.
- 1835.—Die 21 m. Junii in festo Sti. Aloisii Gonzagae primum piissime litat.
- 1837.—Die 16 m. Octobris incipit Vicarium Oeconomum agere Sallenti in patrio oppido.
- 1839.—Die 30 m. Junii a munere Oeconomi abdicat, in quo cottidie per duos annos et semis pro populo celebraverat.
- 1839.—Die 6 m. Octobris Romam primum adventit animo ingrediendi in *Congregationem de Propaganda Fide*: admissus in societatem Jesu ab ea ob vulnus malignum postea egreditur et in Hispaniam redit.
- 1849.—Die 16 m. Julii Congregationem FF. Iti. Cordis Beatae Mariae Virginis instituit.
- 1850.—Die 6 m. Octobris Vici Episcopali consecratione inungitur.

## Anno

- 1851.—Die 16 m. Februarii in urbe Sti. Jacobi de Cuba a clero et populo filiali laetitia excipitur.
- 1856.—Die 1 m. Februarii in oppido Holguin pro Christi nomine martyrium delibat.
- 1857.—Die 5 m. Junii Matriti Confessarius Elisabeth II officialiter nominatur.
- 1861.—Die 26 m. Augusti ei conceditur gratia vere extraordinaria conservandi intra se ab una communione ad alteram Species Eucharisticas.
- 1869.—Die 2 m. Aprilis Romam iterum adventit ut Concilio intersit Vaticano.
- 1870.—Die 31 m. Maji pro Infallibilitate Pontificia contionem habet ad Rmos. Patres Concilii Vaticani.
- 1870.—Die 24 m. Octobris Fonte Frigido in dioecesi Carcasonensi apud Gallos plenus meritis spiritum Deo reddit.
- 1899.—Die 4 m. Decembris Causa Beatificationis penes Sacrorum Rituum Congregationem introducitur.
- 1924.—Die 6 m. Januarii virtutes herocae a Pio Papa XI sollemniter approbantur.
- 1934.—Die 18 m. Februarii miracula proposita constare sollemniter declaratur.
- 1934.—Die 24 m. Februarii Summus Ecclesiae Pontifex edicit tuto procedi posse ad Famuli Dei Beatificationem.
- 1934.—Die 25 m. Februarii Pius Papa XI anno Pontificatus sui decimo tertio Patrem Nostrum in Beatorum numerum refert. Deo gratias!



2 pesselae

Gratis pro subnotatoribus

**Typographia F. Camps Calmet. - Tarregae**